This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 07585965 6

PUBLICATIONS

OF THE

CAXTON SOCIETY.

BENEDICTI ABBATIS PETRIBURGENSIS
DE MIRACULIS SANCTI THOMÆ CANTUARIENSIS.

BENEDICTI ABBATIS PETRIBURGENSIS
DE VITA ET MIRACULIS S. THOMÆ CANTUAR.

THE LIFE AND MIRACLES

OF

SAINT THOMAS OF CANTERBURY,

by Benedict, abbat of Peterborough.

NOW FIRST PUBLISHED FROM A PARIS AND LAMBETH MS.,

BY THE REV. DR GILES,

OF C. C. COLLEGE, OXFORD,

ASTOR LIBRARY
NEW-YORK.

LONDON:

PRINTED AND PUBLISHED FOR THE CAXTON SOCIETY, BY
A. BLACK, 8 WELLINGTON ST NORTH, STRAND.
1850.

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

EXIMIO VIRO ET IN ME VERE BENEVOLO

PAULINO PARISIENSI,

CUJUS HUMANITATI, QUODCUNQUE MIHI BONI, QUODCUNQUE OPPORTUNE

INTRA PARIETES BIBLIOTHECARUM PARISIENSIUM CONTIGERIT,

UNICE DEBEO, HUNC LIBRUM, JUXTA CODICEM QUI

IN BIBLIOTHECA REGIA SERVATUR ACCURATE IMPRESSUM,

DO DEDICOQUE.

J. A. G.

CAL. JAN. ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS MDCCCL.

PREFACE.

It is necessary to forewarn the reader that this volume is published for its historical, and not for its theological value. This statement will no doubt disarm those critics who might justly be disposed to censure, if a collection of "Miracles" like the present were obtruded upon their notice, as in any way deserving of credit, or possessing the slightest claim on their credulity. It may also be admitted that the contents of this volume are of little importance in connection with the history of Becket's death, because they detail legends and wonders, which are not supposed to have happened until after the death of that remarkable man. The value of this volume consists in the various pictures of domestic manners which it presents, and in the additional knowledge which we derive from it concerning the names of persons, places and families, in the twelfth century. These are points, which, as the student of English history will

admit with regret, are most obscure and unsatisfactory. Not only is every accession to our store valuable in itself, but the more we know of the customs, and modes of life which prevailed among our forefathers, the more they will be found to be similar to our own, not perhaps in the metropolis and large cities, where change more rapidly progresses, but in remote country districts, where there seems to have been no sufficient cause in action for many centuries, likely to produce any very decided change in the manners of the inhabitants.

That the contents of this book are historically useful, may be shewn without much difficulty: that they furnish many facts and illustrations of the history of the English people, will be evident to any one who will take the trouble to peruse it, or even to cast a cursory glance at the index of proper names which is given at the end of the volume.

Thus the fees due to the church for the celebration of funeral rites are ascertained from page 102: the pilgrimage to St James's from page 126: the charge against Becket, of having dealt severely with the Church in his earlier days, receives confirmation from page 175: and from the allusion to the art of fencing in page 196, we may infer that it was conducted in very much the same manner as at present.

We will now inform the reader on what authority this work is published, not only as a relic of the century immediately succeeding the age of Becket, but as the genuine work, with a few additions and

alterations perhaps, of Benedict abbat of Peterborough.

Herbert de Bosham,* the minute biographer of Thomas Becket, in Book II of his LIBER MELORUM, *p.* 17, has the following passage:

Ut ita in victorioso sanguine martyris diruptis peccatorum vinculis educantur vincti in fortitudine; similiter et qui exasperant qui habitant in sepulcris: et vere multa et miraculose gesta, quæ qui nosse desiderat, legat *librum signorum editum de his*, librum inquam signorum de his editum, et his quasi quibusdam recentium virtutum vernantem floribus, virtutibus et prodigiis insignitum.

The manuscript containing this work, preserved in the library of Corpus Christi College, Oxford, has a note attached to the passage in the margin "*Venerabilis abbas de Burgo sicut . . . Benedictus di . . . idisse.*" Though this note is thus mutilated, enough of it remains to shew us that Benedict abbat of Peterborough, who was contemporary with Becket, compiled the book of "Signs" or miracles, to which Herbert de Bosham refers his readers.

An allusion is no doubt made to the same work in the following passage:

Sed de miraculis ejus in Anglia sacerdotum et bonorum virorum testimonio declaratis, et in capitulo Cantuariensis ecclesiæ publice recitatis, magnus codex conscriptus extat, præter alia quæ longe lateque in Gallia, in Hibernia, et ubique terrarum operatus

* The editor of this volume has published the complete works of Herbert de Bosham in 2 vols 8vo, forming part of a general collection of English Ecclesiastical writers, PATRES ECCLESIÆ ANGLICANÆ.

est sanctus Thomas, quibus memoriæ commendandis defuit qui scriberet. Vita S. Thomæ, vol. I, p. 311.

It is also stated by several of the biographers of Becket that they made use of a work written by Benedict in compiling their own; and it is also said by some of them, that Benedict wrote principally on the martyrdom itself and of the events which happened afterwards.

Verum, ut passionis et triumphi sancti viri veritati certior fides habeatur, in hac particula testem quintum quatuor supradictis addimus, piæ videlicet memoriæ Benedictum, postea multa ejus ejus probitate promerente abbatem Sancti Petri de Burgo, qui ipsa die, qua martyr victor occubuit, inter familiares illius familiarius illi assistens, quæ vidit et audivit, veraci stylo testis fidelis ex ordine singula digessit. QUADRILOG. SECUND., lib. iii in Præfat. vel in Vit. S. Thomæ &c. 8vo Oxon. 1845 vol. II, p. 201.

It is moreover a well known tradition that Benedict of Peterborough wrote a work bearing the specific title "MIRACULA SANCTI THOMÆ."

In addition to these arguments, the work itself supplies evidence that it had for its author some one who resided at Canterbury and was an inmate of the monastic community of that city. The expressions *nostri*, page 33, *intenderem* page 59, *præcepimus* page 72, and others which occur repeatedly, would be sufficient to prove this inference beyond the possibility of a doubt.

We shall now produce evidence to shew that the work here published is the work of Benedict, though with such additions and amplifications as were usually

made by the monks to works of this kind, when they copied them out afresh.

In the splendid collection of MSS. belonging to Sir Thomas Phillipps, is a beautiful folio volume [No 4622], containing an abridged copy of Herbert de Bosham's life of Becket, followed by the MIRACULA, now published. The prologue of the latter work, beginning with the words 'Postquam igitur &c.,' is followed by the CAPITULA LIBRI PRIMI: then comes this letter written by Odo, abbat of Battle Abbey:

ODO, *permissione Dei dictus abbas ecclesiæ sancti Martini de Bello, dilecto in Christo fratri suo Adæ et Radulfo cognato suo, monachis Igniacensibus, cum salute in bono proposito perseverare*— Librum miraculorum beati martyris Thomæ, dilectioni vestræ transmitto, quæ quidem miracula probata noveritis esse et examinata, nihilque iis admixtum, quod pateat falsitati. Miseram quidem jam vobis ante de ipsis miraculis librum, isto multo meliorem, sed nuncii fraude minime pervenit ad vos.

Odo, the writer of this letter, was prior of Canterbury at the time of Becket's death. He figures as the writer of two letters nos. 421, 422 in Gilberti Foliot Epistolæ [2 vols 8vo Lond. et Oxon. 1845]; in the former of which he notifies to Pope Alexander the election of Richard, prior of Dover, to the archbishopric of Canterbury.

Odo was promoted to the abbacy on the sixth before the Ides of July, [*July* 19th] 1175. He died, according to Willis, in 1199; or, according to the Annals of Winchester, in March, 1120. It is evident, therefore, that the collection of miracles, to

which the letter of Odo refers, must have been written before the year 1120, i. e. within thirty years after Becket's death. Yet, as this letter is not found in the other MSS. of the Miracula, it strictly proves no more than that the copyist of Sir Thomas Phillipps's MS. considered this collection to be the same which Odo sent for the use of his friends, as stated in the letter aforesaid. Still this is one point gained; for as Sir Thomas Philipps's MS. was written about the year 1300, it follows that the collection of MIRACULA, which it contains, was considered to be the work of Benedict, as early as 500 years ago.

To complete the argument, we have the evidence of our author himself, in page 219, that, previously to compiling this book of miracles, he had written a book concerning the Archbishop:

tractum illum sanguinis, de quo et in passione ejus fecimus mentionem.

The inference, which we would endeavour to establish, is rendered still more forcible from the non-existence of any other collection of Miracles than that which we now publish. Five manuscripts, at least, of them are in existence, all agreeing with one another. These are

A. Bodley MS. No 509, containing only the first 45 chapters.
B. Paris MS. Biblioth. National. (olim Regia), No 5320. fo. 69.
C. Lambeth MS. No 135.
D. Sir Thomas Phillipps's MS.
E. I believe at Arras, or at some other Town in Flanders.

and all of these, save some unimportant additions found in some of them, agree with one another.

The present edition is based upon a transcript of the Paris MS., collated with that which is preserved in the library of Lambeth. All the others have been so far examined as to make it evident that they are identically the same work, with very few various readings, and none which in any degree interfere with the sense.

Of the author of these Miracula the fullest ancient account is given in ROBERT SWAPHAM'S HISTORIA CŒNOBII BURGENSIS, page 97 in SPARKE'S HISTORIÆ ANGLICANÆ SCRIPTORES VARII, [fol. 1793].

De abbate Benedicto et ejus actibus.

Venerabilis abbas Burgi Benedictus, ecclesiæ Christi Cantuariensis prior extitit magnificus, et monachus professus, et benedictus est Benedictus quia plurimarum gratiarum benedictionem dedit illi Dominus. Erat enim literarum scientia satis imbutus, regulari disciplina optime instructus, sapientia seculari plenissime eruditus. Hic electus est abbas Burgi, apud Wintoniam post depositionem abbatis Willelmi: et statim post susceptam curam animarum cœpit in ecclesia sua malas consuetudines, et e xordinationum fomenta secundum posse suum prudenter extirpare, et rigorem regularis disciplinæ, sicut pastor bonus, sapienter plantare. Postea vero extendit manum suam ad liberandam ecclesiam suam de debito prædecessoris sui abbatis Willelmi; cui Romani et in Anglia multi exigebant plus quam mille et quingentas marcas. Insuper et ornamenta ecclesiæ erant per diversa loca dispersa et invadiata: unde vir venerabilis nimium gravabatur, in tantum ut cum uno solo monacho præ gravaminis dolore apud Cantuariam per multos dies moratus sit. Vix tandem liberatus, non sine gravi labore, a tali demanda et vexatione, dedit animum suum

meditationi scripturarum : UNUM COMPOSUIT EGREGIUM VOLUMEN DE PASSIONE ET MIRACULIS SANCTI THOMÆ ; et historiam studens livor (*sic*) totam fecit : totam dico, quia dictamen cantu excellenter insignivit.

De libris ejus.

Plurimos quoque libros scribere fecit, quorum nomina subnotantur.

Vetus et Novum Testamentum in uno volumine.

ITEM Vetus et Novum Testamentum in uno volumine.

Quinque libri Moysi glosati in uno volumine.

Sexdecim prophetæ glosati in uno volumine.

Duodecim minores glosati prophetæ in uno volumine.

Liber regum glosatus, Paralipomenon glosatus, Job, Parabolæ Salomonis et Ecclesiastes, Cantica Canticorum, glosati, in uno volumine.

Liber Ecclesiasticus, et liber Sapientiæ glosatus, in uno volumine.

Tobias, Judith, Esther, et Esdras, glosati, in uno volumine.

Liber Judicum glosatus.

Scholastica Historia.

Psalterium Glosatum.

ITEM non glosatum.

ITEM Psalterium.

Quatuor evangelia glosata in uno volumine.

ITEM Matthæus et Marcus in uno volumine.

Johannes et Lucas in uno volumine.

Epistolæ Pauli glosatæ, Apocalypsis, et Epistolæ Canonicæ glosatæ, in uno volumine.

Sententiæ Petri Lumbardi.

ITEM Sententiæ ejusdem.

Sermones Bernardi abbatis Clarævallensis. Decreta Gratiani. ITEM Decreta Gratiani. Summa Rufini de Decretis. Summa Johannis Faguntini de Decretis. Decretales Epistolæ. ITEM Decretales Epistolæ. ITEM Decretales Epistolæ cum summa sic

incipiente "OLIM." Institutiones Justiniani, cum Authenticis et inforciato. Digestum Vetus. Tres partes cum Digesto Novo. Summa Placentini. Totum corpus juris in duobus voluminibus. Arithmetica. Epistolæ Senecæ cum aliis Senecis in uno volumine. Martialis totus et Terentius in uno volumine. Morale dogma philosophorum. Gesta Alexandri et liber Claudii et Claudiani. Summa Petri Heliæ de Grammatica, cum multis aliis rebus in uno volumine. Gesta regis Henrici secundi et genealogia ejus.* Interpretationes Hebraicorum Nominum. Libellus de Incarnatione Verbi. Liber Bernardi abbatis ad Eugenium papam. Missale. VITA SANCTI THOMÆ MARTYRIS. MIRACULA EJUSDEM IN QUINQUE VOLUMINIBUS. Liber Ricardi Plutonis, qui dicitur "UNDE MALUM." Meditationes Anselmi. Practica Bartholomæi cum multis aliis rebus in uno volumine. Ars Physicæ Pantegni, et Practica ipsius in uno volumine. Almansor et Dioscorides de virtutibus herbarum. Liber Dynamidiorum et aliorum multorum in uno volumine. Libellus de computo.

At the beginning of the volume are placed all the fragments which remain (preserved in the Quadrilogus) of Benedict's Life of Becket. The text of these fragments is rather more accurate than that which I gave in Vita Sancti Thomæ &c. 2 vols 8vo, having been compared with the text of the older Quadrilogus, 4to, 1495.

---

* Benedictus abbas Petroburgensis, de vita et gestis Henrici II et Ricardi I. E codice MS. in bibliotheca Harleiana descripsit, et nunc primus edidit Thomas Hearnius. Accesserunt alia. Duobus tomis, Oxonii. E theatro Sheldoniano MDCCXXXV.

VITA

SANCTI THOMÆ CANTUARIENSIS.

Fragmentum. 1.

Qualiter milites ad archiepiscopum accesserunt et eum convenerunt.

Die igitur natalis Domini quinto, sedente archipræsule in thalamo suo circa horam diei undecimam, considentibus hinc et inde clericis et monachis nonnullis, de negotiis et utilitatibus cum archiepiscopo agentibus, ecce satellites quatuor prænominati, cum patre suo Sathana a facie Domini egressi, thalamum archipræsulis ingressi sunt. Salutati, ut moris est, a nonnullis in introitu considentibus, resalutatis eis sed voce submissa, usque ad archiepiscopum progrediuntur. Et considentes ante pedes ejus in terra, ipsum nec suo nec regis nomine salutantes, utpote a quibus longe erat salus, mors et perditio prope, venenum aspidum, quod sub labiis gerebant, ut postea impetuosius erumperet per moram aliquantulam compresserunt silentio, innocentissimo Christo Domini nihilominus tacente.

Quum ita sub silentio, non sine considentium admiratione, modicum temporis intervallum attrivissent, Reginaldus filius Ursi, mente potius ursinus quam genere, sic sanctum affatus est: " A domino nostro rege de partibus transmarinis ad te directi, regia tibi mandata deferimus. Volumus igitur

scire, utrum ea malis secretius, an publice dici." At vir Dei, nec prospera mundi sperans, nec adversa reformidans, simplici et supplici voce respondit dicens : " Hoc vestro arbitrio, vestræque relinquo voluntati." Reginaldus ait; " Secretius ergo dicantur, iis qui præsentes sunt interim absentatis." Sanctus vero, nec suorum multitudine confisus nec solitudinem veritus, omnibus suis indixit egressum. Quibus egressis et solis illis quatuor satellitibus in thalamo cum archiepiscopo remanentibus, accurrens ostiarius ostium patefactum dimisit, ut qui extra jam consederant, ad dominum suum, Christum Domini, oculos reflectentes, tam ipsum quam illos Dei inimicos intueri valerent. Quumque Raginaldus prædictus regia quædam explicuisset mandata, et vir Dei prudentissimus luce clarius perpendisset, quod nec pacis nec alicujus boni speciem prætenderent, recolens etiam illius Evangelici, quodam præsagio futurorum, 'Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes,' accersito ostiario, tam clericos suos quam monachos, qui forte ibi aderant, laicis omnibus exclusis, adesse præcepit. Quibus ingressis, ait sanctus ad satellites : " Ecce domini, quæ vestræ placent voluntati, potestis his præsentibus loqui." Reginaldus ad hæc : " Ex quo ea in publicum potius venire delegisti, quam secreta teneri, et nos nihilominus ea, tuæ super hoc satisfacientes voluntati, præsentibus publicabimus. Mandatum tibi a domino rege deferimus, qui in partibus commoratur transmarinis, ut ad filium suum novum regem cismarinum pergas, facturus ei quod domino et regi facere debes."

Sanctus ait : " Et quid est quod ei facere debeo? "

Et Reginaldus ; " Hoc in tuam potius debet venisse notitiam, quam nostram."

At ille inquit : " Si illud scirem, me profecto nullatenus id ignorare dicerem ; verum existimo me prorsus ei fecisse, quidquid ei facere debeo."

Reginaldus contra : " Nequaquam : multa adhuc facienad, multa sunt corrigenda."

Asseverante igitur archiepiscopo se nescire quid erga majestatem regiam emendare deberet, nisi illud eorum benevolentia, quæ utique nulla erat, ediceret, ait Reginaldus ; " Quum te rei hujus penitus confitearis ignarum, nos tibi quid agere debeas explicabimus. Mandat tibi dominus rex noster, ut ad filium suum regem, in finibus cismarinis commorantem, quantocius eas, fidelitatem ei interposito juramento facturus, et quæ in regiam peccasti majestatem emendaturus. "

Respondit vir Domini, et ait ; " Unde illi fidelitatem tactis sacrosanctis debeo confirmare ? aut in quo majestatis regiæ reus effectus sum ? "

Satelles autem posteriori quæstionis parte, quam solvere nullatenus poterat, omissa, sic denodavit anteriorem : " De baronia, quam de domino meo rege tenes, exigitur a te cum juramento confirmata fidelitas. Et de clericis quos in terram suam adduxisti, si in terra sua remanere voluerint securitatis juramentum nihilominus exigitur."

Archiepiscopus ad hæc ; " De baronia domino meo regi, quidquid jus aut ratio dictaverit, facere paratus sum. Verum omni ambiguitate remota pro certo teneat, quod nec a me, nec ad aliquo clericorum meorum juramentum aliquod poterit extorquere. Multa super modum extorta sunt, et jam perjuri et excommunicati nimirum videntur excedere. Sed jam plurimos, Deo gratias, tam a crimine perjurii, quam anathematis vinculo colligatos absolvi, reliquos, quum Dominus annuerit, ab eisdem periculis ejecturus."

Reginaldus inquit : " Intelligimus quod nihil eorum, quæ tibi proposuimus, facturus sis. Præterea præcepit dominus rex, ut episcopos suos a te absque licentia sua vel excommunicatos vel suspensos, tam a damnationis, quam a silentii absolvas sententia, tam super his quam super aliis quæ tibi volet objicere, juri pariturus."

Et archiepiscopus ; " Episcopos quidem nec suspendi nec anathematizavi, sed dominus noster papa, cui dignosci-

tur esse a Domino collata potestas. Si super his causam volueritis instaurare, inter vos et ipsum causa versetur; mea nihil interest super his vobis respondere."

Reginaldus dixit: "Etsi id in propria persona non feceris, per te tamen et tuo factum est instinctu."

Et sanctus inquit; "Si dominus papa nimiam ecclesiæ meæ mihique illatam respiciens injuriam vindicaverit, fateor mihi non displicere."

Impietatis autem filius, qui huc usque totis institerat viribus, quibus captiose loquens prudentissimum agnum Dei vel in sermone caperet, vel contra Dei et ecclesiæ, cujus propugnator erat invincibilis, honorem a statu rectitudinis averteret, quum vidisset quia ante oculos pennati frustra rete jecisset, convitiosis eum insimulationibus aggreditur dicens: "Hoc tibi placere manifestis probas indiciis, qui in regiæ majestatis dedecus atque despectum, episcopos suos ab episcopalibus arces, et a sanctæ matris ecclesiæ sequestras liminibus, eo quod dominum nostrum novum regem, ad quem de jure spectat hæreditas, utpote regis filium et reginæ, signum etiam in humero ferentem imperii, ausi fuerint coronare. Et quum adversus hanc ejus exaltationem insurgens rem talem præsumpseris, credibile satis est verique simillimum, quod coronam suam velis surripere, et regno invaso rex terræ nominari et esse. Sed annuente Deo nequaquam usque ad dignitatis regiæ nomen proficies."

Sanctus autem non immemor sententiæ, qua dicitur, *Vir iracundus suscitat rixas, sapiens autem mitigat suscitatas*: amaricato satellitis animo mitis responsi apposuit medicinam, dicens: "Nequaquam, Reginalde, nequaquam ad regis nomen vel dignitatem adspiro, nec coronam suam ab eo avellere cupio; tres ei potius vel quatuor coronas tales, si mihi pro voluntate facultas responderet, libenter impositurus. Nec existimo quemquam, solo patre suo domino meo rege excepto, in mundo esse, qui tenerius me illum diligat, vel plus ei boni exoptet. Et hoc ei, vita

comite, si Dominus annuerit, opere comprobabo. Porro super episcopis, quos a me vel per me suspensos asseritis vel excommunicatos, pro certo noverit vestra discretio, quidquid actum est, regio actum consensu atque consilio. Quum enim in festo beatæ Mariæ Magdalenæ, reformata inter nos pace, in pristinam gratiam me recepisset dominus rex, et super injuriis et violentiis mihi meisque illatis, maxime vero super episcopis, qui in matris suæ Cantuariensis ecclesiæ despectum, quod mei erat officii usurpare non timuerunt, querimoniam apud ipsum deposuissem, ille sua gratia ut a domino papa juris et æqui vindictam qualemcumque possem impetrare concessit, adeo ut non solum ad consensum inclinari, sed etiam spondere mihi dignaretur auxilium."

Exclamans autem Reginaldus, tam facetæ curialitatis vacuus, quam furore plenus, inquit: "Audi, quid est quod dicis? Inexemplificata et inaudita proditio: si dominus rex episcopos suos excommunicandi vel suspendendi tibi contulisset licentiam, qui præcepto suo filii sui coronationi interfuere. Porro nunquam ei in mentem venit. Te vero immensi mali noveris auctorem, qui dominum nostrum regem tali proditione insimulas."

Archiepiscopus inquit: "Reginalde, Reginalde, nequaquam regem proditionis accuso. Verumtamen reformata inter nos concordia, et habitæ inter nos conventiones nequaquam ita latenter factæ sunt, quin archiepiscopi, episcopi, viri multi sublimes, viri valde religiosi quingenti etiam et eo amplius milites eis interfuerint, easque audierint. Sed et tu ipse, domine Reginalde, interfuisti."

Respondit veritatis inimicus, et dixit: "Vere neque ibi præsens adfui, nec hæc vidi, vel audivi."

Sanctus autem, utpote tam in verbo quam in voce temperatissimus, suppliciter et simpliciter affirmans ait: "Imo Deus scit; certus sum enim, quia te viderim ibi."

At ille rursus, quod ibi non fuisset pejerando seque

pejerando inficiatus, ait : " Mirum est et inauditum, quod domino nostro regi tantæ proditionis notam imponis. Nec hoc poterit de te ullatenus sustinere, nec nos, qui homines ejus sumus fideles, ulterius sustinebimus."

Exclamaverunt autem tunc et alii milites, in minas easdem prorumpentes, per plagas Dei iterum atque iterum jurantes, quod eum supra modum sustinuissent. Turbati sunt igitur insipientes corde, et iniquitatem in excelso loquuti, convitia convitiis, minas minis accumulant.

Vir autem Domini, qui non solum minis et convitiis venerat affligi, sed et caput gladiis pro tuenda libertate ecclesiæ libenter exponere, juxta illud ethici,

Dum furor in cursu est, currenti cede furori,

mitius respondit dicens ; " Ex quo in fines istos cum Dei regisque plenaria pace per ipsius conductum deveni, multas satis comminationes, multa opprobria, multa damna sustinui. Verbi gratia, de hominibus meis captis, et rebus eorum violenter ablatis ; de equis meis, quos Robertus de Broc mutilavit cauda ; de vinis meis, quæ Ranulphus de Broc violenter detinuit, quæ etiam dominus rex per medium terræ suæ transmarinæ deduci fecit in Angliam. Aliis etiam injuriis et opprobriis multis affectus sum, quum dominus noster rex filio suo regi tam per brevia, quam nunciorum viva voce mandaverit atque præceperit mihi meisque firmam pacem haberi. Et super omnia hæc mihi comminari venistis. Noveritis quia talia valde moleste fero."

Reginaldus ad hæc : " Si quis aliquid forte præsumpserit quod in tuam videbatur redundare injuriam, quare non illud exposuisti, ut quidquid jus dictaret aut ratio, reportares ? "

Archiepiscopus inquit ; " Apud quem querelam meam deponerem ? "

Et satelles ; " Apud regem cismarinum."

Archiepiscopus inquit : " Amice,, satis conquestus sum satis illatas mihi injurias exposui, satis ad satisfactionem

impetrandam incassum laboravi. Præterea tot mihi in dies cumulantur injuriæ, tot et tam tædiosis malis affligor, tot in auribus meis tam noctibus quam diebus pauperum meorum hominum resonant querimoniæ, quod ad singulas necessitates singulos nequeam nuncios invenire. Sed et injurias meas quamvis exposuero, juris mihi et rationis beneficium denegabitur. Rex enim cismarinus, ejusque justitiæ, ex domini regis in finibus transmarinis commorantis pendentes consilio, nihil eo faciunt inconsulto ; mihi juris et æquitatis, meis transfretandi et regem adeundi copia denegatur. Unde et male nimis mecum agitur. Verum ex quo nec hinc nec illinc recti quidquam seu justitiæ invenio, ego qualem potest et debet archiepiscopus exercebo, pro nullo mortalium id dimissurus."

Ad hanc vocem unus illorum exclamavit: " Minæ, minæ: etiamne totam terram interdicto subjicies, et nos omnes excommunicabis ?"

Et alius ; " Sic mihi Deus sit propitius, nequaquam id efficiet : multos supra modum in anathematis vincula conjecit."

Illis igitur exilientibus, et iræ et convitiis fræna laxantibus, chirothecas contorquentibus, brachia furiose jactantibus et tam gestibus corporum quam vehementia clamorum manifesta insaniæ indicia dantibus, archiepiscopus etiam surrexit. Jam vero præ nimietate tumultus et vocum confusione non facile erat discernere, quæ verborum venena quisque illorum in Christum Domini spargeret.

Tandem vero filii Belial, ad monachos qui forte aderant conversi, his eos verbis in proprium et totius patriæ patrem armare, casso licet labore, conati sunt ; " Ex parte domini regis præcipimus vobis, ut hunc hominem, ne quoquam divertat, diligenter custodiatis, rursus illum regi, quum ei placitum fuerit, repræsentaturi."

Eundemque sermonem iterum iterumque replicantibus respondit pius pater pro filiis : " Quid est hoc ? Nunquid

me fuga labii velle putatis? Nec pro rege, nec pro aliquo viventium fugam inibo. Non veni ut fugerem, sed ut grassantium rabiem et impiorum malitiam exspectem."

"Vere," inquiunt satellites, "vere, volente Deo, non effugies."

Nec administraverat verbum istud viro sanctissimo in regis despectum inflata superbia, sed in virtutis exemplum fundata in Christo perfectaque constantia: illis itaque cum tumultu maximo et contumeliis egredientibus, plurimumque comminantibus, sequutus est eos archiepiscopus usque ad ostium thalami, Hugonem de Morevilla, qui cæteris sicut nobilitate generis ita et virtute rationis debebat præemineret, ut secum reversus loqueretur, inclamitans. Verum illo, reliquisque, utpote qui jam seipsos præ furore capere non poterant, cum superbia et indignatione abeuntibus, reversus vir Domini resedit, et de hujusmodi regis mandatis, ac satellitum contumeliosis verbis coram suis conquestus est.

Unus autem clericorum suorum, videlicet magister Joannes Saresberiæ, vir literarum multarum, eloquentiæ magnæ, profundique consilii, et quod his majus est, in Dei timore et amore fundatus, conquerenti tale dedit responsum: "Domine," inquit, "res nimis admirabilis est, quod nullius admittis consilium. Et quæ necessitas fuit tantæ excellentiæ viro ad ampliorem malignorum illorum exacerbationem surgere, et post eos ad ostium usque procedere? Nonne satius esset, communicato cum his, qui præsentes sunt, consilio, mitius eis dedisse responsum, qui tibi quidquid possunt machinantur mali, ut te ad iracundiam provocatum in sermone saltem capiant."

Sanctus autem, qui pro justitia et libertate ecclesiæ ad mortis angustias, tanquam ad quietis delicias suspirabat, inquit: "Consilium jam totum acceptum est. Novi satis quid agere debeam."

Et magister Joannes: "Utinam, annuente Deo, bonum sit."

Egressi igitur milites profani, ad socios et complices suos in curiam accelerantes, et se velocius armantes, reversi sunt in loricis, cum gladiis et securibus, arcubus et sagittis et bisacutis et cæteris instrumentis, vel ad seras et ostia demolienda, vel ad excogitatum flagitium mancipandum effectui. Præcurrentes vero aliqui ad archiepiscopum clamabant : " Domine, Domine, armant se. "

At ille : " Quæ cura ? sinite armare."

Erat in detestanda illorum societate perditionis ille filius Robertus de Broc, quem ut diximus propter scelerum suorum enormitatem die natalis Domini anathematizatum, a communione fidelium præciderat vir sanctus, qui introitus et exitus curiæ noverat universos, utpote qui dum exularet archiepiscopus, sub domino suo Randulpho de Broc totius archiepiscopatus habuerat custodiam. Dum igitur ostium aulæ occupare festinarent, præcaventibus famulis exclusi sunt. Quumque ostio clauso et objectis obicibus, prorsus eis denegatus esset introitus, ducatu præfati Roberti ad gradus quosdam secretiores, per quos de thalamo exteriori in pomœrium erat descensus, quantocius diverterunt, proximaque fenestra demolit etiam a,ostium reserarunt. Quumque fortissimo Dei athletæ a præcurrentibus famulis undique acclamatum esset ut fugeret, ille cui nihil vilius erat quam mortem timere pro Christo, nec loco nec animo motus est. Instantibus etiam tam clericis quam monachis et oppido illum ad fugam hortantibus, memor ille promissi prioris, metu videlicet mortis se non fugiturum carnis interfectores, nihilominus sedebat intrepidus, nesciens cum his, qui ad tempus credunt, in tempore tentationis recedere. Monachi vero, qui forte pauci aderant, seram ostii, quod ad ecclesiam per claustrum ducebat, confringentes, patrem suum, licet invitum, educere satagebant, honestiorem ei discedendi causam proponentes, horam videlicet esse, qua eum in ecclesia vespertinas laudes oporteret exsolvere. Alii eum injectis manibus erigunt et vim ei faciunt. Tunc

sanctus, Dominicum illud præceptum etiam ad literam non immemor observare, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me,* crucem suam sibi præferri præcepit. Egressus autem quum a commeantibus accelerare cogeretur quasi fugam erubescens gradum fixit. Instantibus autem nihilominus monachis, et ut procederet oppido compellentibus, sive quia irreverentius solito se haberent, sive ut suos confirmaret et consolaretur, hæc eis verba sæpius replicabat: "Quid est hoc, domini, quid formidatis?" Quumque ad ostium claustri appropinquassent, et nec illud confringere possent, nec clavem præ manibus haberent, ecce cellerarii duo Cantuariensis ecclesiæ Ricardus et Willelmus, qui audito tumultu et collisione armorum per viam claustri illo properabant, ostium idem, avulsa sera, venienti archiepiscopo patefecerunt.

FRAGMENTUM 2.

De ingressu archiepiscopi in ecclesiam.

Audito igitur armatorum superventu, quidam ex fratribus ad orationem adhuc persistebant, quidam timentes diverticula petebant. Quibusdam vero subvenire volentibus exivit quidam ex fratribus dicens: "Ingredere, pater, ingredere, mane nobiscum, ut si necesse est una compatiamur et glorificemur. Exanimatos absentia tua præsentia consoletur." Respondit: "Ite, divinæ servitutis pensum implete." Et subsistens ab ostium inquit: "Quamdiu tenebitis introitum, non introibo." Cedentibus illis ingressus monasterium substitit in limine, repellensque populares circa se quasi ad spectaculum constipatos, inquit: "Quidnam metuit gens ista?" Responsum est: "Armatos in claustro." "Ad ipsos," ait, "exeo." Prohibentibus autem fratribus eum exire, cœpit circa limen observari, et quum procedere moneretur, et ad sancta sanctorum se conferre, ut deferretur ei ex reverentia loci, non acquievit.

Tumultuantibus interea clericis, quibusdamque fratribus vectem ferreum obducentibus inquit: "Abite, pusillanimes, sinite miseros et cœcos delirare: præcipimus in virtute obedientiæ, ne ostium claudatis; non enim decet ecclesiam incastellari." Omissis igitur vesperis accurrunt quidam monachorum, pastoremque suum, licet renitentem, introducentes clausis ecclesiæ valvis hostes festinant excludere. Regressus autem pater sanctus quantocius increpabat eos dicens: "Dimittite meos intrare." Et accurrens ostium aperuit, et hos et illos a valvis removens, suos, qui deforis luporum morsibus relicti fuerant, sacratissimis manibus suis trahebat in ecclesiam, dicens: "Introite, introite citius.' Ut dicere posset cum Domino: 'Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.' Tandem vero filiorum suorum instantia violenter inde abstractus, hostibus jam prope positis ostia patefacta reliquit, ne impedito illorum itinere ejus impediretur martyrium, quo se scierat et prædixerat futurum esse beatum. In finibus enim transmarinis adhuc positus duobus abbatibus, Pontiniaci scilicet et Vallis-lucentis, sicut præscripsimus, passurum se esse martyrium, et in ecclesia occidendum manifeste prædixerat. Utrique etiam prædixerat in Angliam se esse iturum, non tam propter domini papæ præceptum, quam propter martyrii sui revelationem.

FRAGMENTUM 3.

Et quum vir Domini illam mortis horam satis declinasse potuisset, si vellet, intrantibus in monasterium prædictis satellitibus, et aliis, 'Ubi est ille proditor?' aliis 'Ubi est archiepiscopus?' vociferantibus, sciens sanctus in spiritu omnia, quæ ventura erant super eum, occurrit iis e gradibus,

quorum aliquos jam conscenderat, vultu intrepido dicens: "Ecce ego non proditor, sed archiepiscopus:" Dominum videlicet imitatus, qui quærentibus se Judæis processit obviam, dicens: 'Ego sum.' Accedens autem primus illorum dixit sancto: "Fuge, mortuus es!" Ait sanctus: "Nequaquam fugiam." Sacrilegus autem satelles manu in eum conjecta, pileumque mucrone dejiciens, inquit: "Veni huc, captus es." At sanctus "Non veniam," inquit, "hic mihi facietis quæ facere vultis: palliique sui lasciniam de manu ejus excussit.

FRAGMENTUM 4.

Et ad alterum loricatum, quem gladio nudato appropinquare videbat, conversus dixit: "Quid est, Reginalde? Multa tibi contuli benificia; et ad me in ecclesiam armatus accedis?" Nonne his verbis videbatur imitator Christi Christum exprimere Judæis dicentem: 'Tanquam ad latronem exiistis cum gladiis et fustibus comprehendere me?' Cui satelles spiritu furoris plenus inquit: "Jam scies; mortuus es."

FRAGMENTUM 5.

Et inclinato capite secundi vulneris præstolabatur adventum. Secundo vero vulnere capiti ejus inflicto, recto corpore quasi ad orationem prostratus in terram corruit. Tertius autem plurimam testæ portionem amputando vulnus præcedens horribiliter ampliavit. Quartus autem ab uno eorum quod ferire tardaret correptus, in idem vulnus immanem gladium vibravit, gladioque in pavimento marmoreo confracto, tam cuspidem, quam gladii sui capulum reliquit ecclesiæ. Satisque veritati congruum esse videretur, quod non nihil res ista portenderit. Quid enim gladii adversariorum confractio nisi potestatis adversæ dejectionem veram,

et triumphaturæ per sanguinem martyris ecclesiæ figurare videtur victoriam? Nec sufficere videbatur eidem filio Sathanæ in Dei sacerdotem tantum perpetrasse flagitium, nisi etiam, quod dictu horribile est, injecto in sanctissimum caput ejus gladio, jam defuncti cerebrum ejiceret, et per pavimentum crudelissime spargeret, sceleris ejusdem participibus clamans: "Mortuus est, quantocius eamus hinc." Unde timuisse illos conjici potest, ne supervenientes aliqui de sancti martyris militibus vel famulis domini sui sanguinem vindicarent. Exeuntes autem de monasterio, sicut in prælio fieri solet, in insignis victoriæ signum clamabant; "Regales milites, regales." Alii autem insultabant dicentes: "Voluit esse rex plusquam rex; modo sit rex, modo sit rex." Et in hoc similes illis, qui Domino in cruce pendenti insultabant, prætereuntes et capita sua moventes, et inter cætera dicentes: "Dixit enim, quia filius Dei sum."

FRAGMENTUM 6.

Cui unquam martyri titulus extitit gloriosior?..... Quum enim singuli martyrum singulas causas agentes singulare ob salutem propriam certamen inierint, iste universalis ecclesiæ causa suscepta contra principes et tyrannos, contra ecclesiæ sanctæ mercenarios potius quam pastores decertans, ut eam evinceret, satellitibus de corpore suo triumphum reportare permisit. Illos alterius sectæ homines, istum Christicolæ et filii proprii peremerunt.

FRAGMENTUM 7.

De spoliis et vestimentis quæ partiti sunt milites inter se.

Iniquitatis igitur tantæ operarii, non minus cupiditatis siti laborantes, quam sanguinis innocentis effusione inebriati, ad palatium archiepiscopi cum complicibus suis quantocius

recurrerunt. Et aliis a stabulo equos violenter extrahentibus, aliis famulos illius cædentibus, aliis revolventibus omnem domus supellectilem et clitellas, et scrinia demolientibus, quicquid auri vel argenti, vestium aut variorum ornamentorum inventum est, inter se pro voluntate propria diviserunt. Sic enim divinæ placuit pietati, potenter et sapienter disponenti omnia, ut eorum, qui Christi vestimenta partiti sunt, imitatores effecti passionem servi passioni Domini plenius assimilarent: quatenus manifesta rerum similitudine cunctis innotesceret fidelibus, ita eripiendam esse ecclesiam per sanguinem martyris a servitute mundi, sicut per mortem Christi redempta est a potestate Diaboli. Porro scripta omnia et privilegia, quæ malitiosi illi reperunt, filio perditionis Ranulpho de Broc tradita sunt, ad regem in Normanniam transferenda; ut ea videlicet, quæ regni sui consuetudinibus viderentur adversari, et vel universalis ecclesiæ libertati vel Cantuariensis ecclesiæ patrocinari dignitatibus, pro libitu suo aut comminueret, aut nunquam videnda recluderet. Et milites quidem hæc fecerunt.

FRAGMENTUM 8.

Elevato autem sancto corpore de terra, ut in figura ostenderet, quia malis malleus esset futurus, et quia quocumque præterquam ad pœnitentiam diverterent, nequaquam ultionis ejus sententiam possent evadere, inventa sunt sub eo malleolus ferreus et bisacuta a parricidis illis derelicta, quæ corruens, quasi vindicata sibi in illos potestate, occupaverat. Et quum cruor adinstar diadematis, forsitan in signum sanctitatis, capiti circumfusus jacuisset, facies tamen a cruore prorsus immunis apparuit, excepto tractu quodam gracili, qui a dextra frontis parte in faciem sinistram per transver-

sum nasi descenderat.* Cum quo etiam signo multis postea nihil inde prorsus scientibus per visionem apparuit, qui non aliter illud referendo desripserunt, quam si corporeis id oculis inspexissent. Jacente autem adhuc in pavimento sanguine alii oculos suos liniebant, alii vasculis allatis, quam poterant, partem surripiebant, alii certatim præcisas vestes intingebant: nec sibi quisquam postea visus est satis fuisse beatus, qui non de pretioso illo thesauro quantulamcumque reportasset portionem. Et quidem conturbatis et confusis omnibus, licuit singulis quidquid libuit. Pars autem cruoris quam ecclesiæ dimiserant, in vas mundissimum mundissime collecta in ecclesia reponitur conservanda. Pallium ejus et pellicia exterior, sicut erant cruore infecta, pauperibus pro anima ipsius minus discreta pietate collata sunt: satis quidem felicibus, nisi ea statim inconsulte vendentes parvum eis pretium prætulissent.

FRAGMENTUM 9.

Transacta est igitur nox illa lamentabiliter, in dolore, in gemitibus, atque suspiriis, quæ nec ad momentem vel conscia lætitiæ vel mœroris ignara, diem malitia majore suspectum adduxit.

FRAGMENTUM 10.

Qualiter sancti martyris corpus deductum sit ad tumulandum.

In crastino vero multa rursus armatorum manu extra civitatis mænia congregata, divulgatum est undique majoris eos atrocitatis intentione confluxisse, videlicet ut sancti martyris corpus a gremio sanctæ matris ecclesiæ violenter abstractum et per totam civitatem equis distractum, aut patibulo suspenderent, aut in frusta vel minutias conci-

* See the preface, and page 219.

sum, in paludem, vel in quemlibet locum viliorem, quem nec nominare decet, in majorem Dei et ecclesiæ despectum projicerent, dicentes corpus proditoris non esse inter sanctos pontifices sepeliendum. Monachi igitur tam sibi quam sancto timentes, ne vel ipse vilius tractaretur, vel ipsi pretiosum thesaurum amitterent, eum cum summa festinatione sepelire studuerunt. Unde nec eis sacratissimum ejus corpus lavare, nec balsamo, sicut moris habet sancta Cantuariensis ecclesia, licuit refovere. Quod non tam humana nequitia, quam divina pietate creditur evenisse. Cui enim proprii sanguinis unctionem procuraverat Dominus, quæ erat necessitas odoris vilioris ungenti? Exuentes autem eum vestibus exterioribus, et pontificalibus induentes, corpus ejus cilicio, non minus aliunde quam sui duritia molesto, involutum, et quod a nullo sanctorum exemplificatum legimus vel audivimus, ipsa ejus femoralia interiora usque ad poplites cilicina, habitumque super indutum monachalem, stamineam videlicet et cucullam repererunt. Respicientes vero ad invicem, et in aspectu sic occultatæ religionis supra quam credi potest obstupefacti, multiplicata pii doloris materia multiplices renovantur in lachrimas. Quid putandum est in homine isto fuisse cupiditatis, quid proditionis? Nunquid ad regnum aspiravit terrenum, quem constat sæculi deliciis tam occulte prætulisse cilicium? Nunquid regiæ majestatis proditor fuit, et non potius proditus, qui etiam proditoribus suis, proditionis filiis, nec credere voluit, quum posset, nec resistere? Poterat enim fraudem et rabiem hostilem, si vellet, vel prudenter declinasse, vel vi repulisse majori, ut potens, ut præscius, ut præmunitus. Ut potens, quia hostes, quamvis decuplati venissent, posset, si voluisset, repulisse centuplicatus. Ut præscius, quia quum die nativitatis Dominicæ verbi Dei panem populo ministrasset,

ait inter cætera : 'Non alia de causa rediisse se ab exilio, nisi ut vel eos a jugo inflictæ sibi servitutis exueret, vel inter eos et pro eis mortis pateretur supplicium.' Sed et abbatibus transmarinis, ut prædictum est, passionis suæ fecerat mentionem. Porro sicut super his divina pietate edoctus, sic et humana sedulitate præmonitus et præmunitus est. Qua in re licet plurimorum benevolentia meritum sibi dicatur adquisisse, de duobus tamen constare certum est. Ricardum enim Cantuariensis ecclesiæ cellerarium* miles quidam sibi familiaris eundem sanctum Domini tertiæ diei vesperam non visurum sub fidei interpositione certificavit: contra fidem tamen, qua in patris sui necem homicidis illis fuerat obligatus : maluit enim fidei, qua tenebatur eis, incurrere si quod erat periculum, quam sub silentio tam detestabilis homicidii reatus. Quod quum Ricardus prædictus illi beatissimo Dei servo retulisset, subridens respondit ; " Minæ sunt." Verum a cive Cantuariensi, Reginaldo nomine, certior effectus, quod jam in Angliam applicuissent, qui in ejus mortem conspiraverant, seu pro illorum nequitia delenda, seu pro pace ecclesiæ necdum adepta vehementer illachrimatus ait : " Paratum me ad mortem invenient ; faciant quod facere voluerint. Scio quidem, fili mi, et certus sum per arma me moriturum. Veruntamen extra ecclesiam meam non me occident." Nonne his verbis non solum passionis suæ, sed et modi et loci præscius fuisse comprobatur ? Sed quia non erat regnum ejus de hoc mundo, si enim esset, ministri ejus utique decertassent, ut non traderetur eis, elegit calicem Domini sponte cum hilaritate bibere quam vel constantiæ prioris virtutem inerti fuga maculare, vel in defensionem sui pugnaturos in arma vocare. Illum

* 'Cancellarium' in the older Quadrilogus.

videlicet in hoc imitatus, qui duodecim legiones Angelorum, quas ad sui defensionem a patre suo impetrare potuit, noluit implorare. Nec ullius martyris passionem facile credimus inveniri, quæ passioni Dominicæ tanta similitudine respondere videatur.

FRAGMENTUM 11.

Passus est autem egregius Dei athleta Thomas Cantuariensis ecclesiæ archiepiscopus, totius Angliæ primas, et apostolicæ sedis legatus, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo, vitæ vero ipsius anno quinquagesimo tertio; quarto calendas Januarii, feria tertia, hora quasi undecima, i.e. hora vesperarum, ut dies quintus Dominicæ nativitatis ad miseriam ejus fieret natalis ad gloriam, præstante eodem Domino nostro Jesu Christo, cui cum Patre et Spiritu sancto honor, et virtus, et imperium est per infinita sæculorum sæcula. Amen.*

* It is probable that some other of the fragments, which I have left under the head of Quadrilogus, because there were no means of ascertaining their authors, may have been taken out of the work of Benedict. See VITA S. THOMÆ, ab auctoribus contemporaneis scripta, 2 vols 8vo.

MIRACULA

SANCTI THOMÆ CANTUARIENSIS.

LIBER PRIMUS.

Postquam igitur beatissimus Christi martyr Thomas requievit a laboribus suis, et a festo nativitatis Dominicæ transitorio ad illa interni et eterni festi gaudia migravit, versus est in luctum chorus noster, et organum nostrum in vocem flentium; cecidit enim corona capitis nostri,* Anglorum, immo et Angelorum gloria, flos pastorum singularis, decor et decus totius ecclesiæ; eratque nobis, sicut uberrima lacrimarum copia, ita et multiplex illacrimandi materia; quia videlicet pupilli facti sumus absque tutore,† quia conclusit ora canentium se Dominus, quia polluta est sancta ejus ecclesia parricidali flagitio, et quia lamentabatur mater et filiæ non planxerunt, et sustinuit quæ ‡ simul contristaretur et non fuit, et quæ consolaretur et non invenit. Mater lugebat, et in materni doloris augmentum, filiæ canebant: satis superque in se ipsa experta est musica in luctu quam importuna narratio. Deflenda igitur nobis erat sanguinis

* These expressions NOSTRI, NOSTRUM, &c. shew that the writer was a member of the cathedral-establishment of Canterbury; see the Preface.

† tutore—patre A.

‡ quæ s. c. et n. f. et quæ—qui s. c. et n. f., et qui A.

innocentis effusio; deflendus templi Deique contemptus; deflendum ecclesiæ nobilissimæ continuatum silentium; deflenda cithararum plaudentium crudelis præsumptio; desolata est domus sanctificationis nostræ ‡; sedit in tristitia domina gentium; omnes amici ejus spreverunt eam, nec erat qui consolaretur eam ex omnibus caris ejus. Putares threnis illis propheticis non minus Cantuariam defleri quam Hierosolymam: lugebant enim omnes viæ nostræ Sion, eo quod non esset qui veniret ad solemnitatem: oblivioni enim tradidit in ea Dominus festivitatem et Sabbatum, et quæ in vestitu deaurato et circumamicta varietate Dominum in hymnis et confessionibus præ multis terrarum ecclesiis benedicere solebat, luctu ¶ et lacrimis, die noctuque replebatur et saturata est opprobriis.

Coram Deo in Christo loquor, filii Ecclesiæ nec in mensa temperabant a lacrimis, sed tacite lugebant gustantes, et potum suum cum fletu miscebant, et nisi visitasset nos Oriens ex alto, et de grano nostro frumenti reliquisset nobis semen benedictionis, domus Domini maculam sempiterni opprobrii contraxisset, et non adjiceret amplius ut resurgeret: sed benedictus Dominus qui non permisit nos tentari supra id quod potuimus, sed fecit cum tentatione etiam proventum, ut possemus sustinere: benedictus Dominus, qui contritos respexit, et sanavit contritiones nostras, qui conversus est et ignovit nobis, et reliquit post se benedictionem: *Ecce enim ex hoc beatos nos omnes generationes, Quia fecit nobis magna qui potens est.*|| Mox enim, martyre consummato, juvenes nostri visiones viderunt et senes nostri somnia somniaverunt, quibus usque ad spem majoris conso-

---

‡ NOSTRÆ om. A. ¶ et luctu A. || EX HOC om. B.

lationis respiravimus. Sequuta sunt e vestigio miracula, et cognovimus quia revera sublimavit Dominus cornu Christi sui, et quia directa est salus nostra in manu illius — non solum nostra, sed et totius Anglicanæ Ecclesiæ. Eradicatis enim virtutum floribus, conculcato et comesto, arefacto et suffocato semine illius, qui exiit de sinu Patris seminare semen suum, agrum Ecclesiæ repleverant urticæ vitiorum.§ Sæviebant etiam* lupi in ovilibus Dominicis, et dissimulabant qui sedebant in specula, canes muti, non valentes, immo non volentes latrare. Dispergebantur oves et fugientibus mercenariis, non erat qui ex adverso ascenderet, qui cum domino Cantuariensi staret adversus operantes iniquitatem. Idolum quoque Baal, quod sibi schismatici erexerunt et adoraverunt, apostatam † dico qui in Apostolicæ sedis injuriam in cathedra pestilentiæ consedit, sui adoratione plurimam mundi fædaverat portionem. Cætera mala ‡ quis comprehendat, quorum non erat numerus? In Cantuariensis agni sanguine omnibus providit Omnipotentis benignitas, et singulos quosque vel jam correxit, vel ad correctionem invitavit. Coruscatione namque miraculorum cessaverunt paulatim vitiorum tenebræ: semen verbi Dei in terra bona coaluit: pullulaverunt in agro Ecclesiæ rediviva virtutum germina: coruscatione miraculorum convertuntur quotidie innumeri a via sua mala, et percutientes pectora sua revertuntur ad Dominum: coruscatione miraculorum fiunt quotidie in caulis gregis Dominicæ de lupis oves, de persequutoribus tutores Ecclesiæ. Induantur ergo saltem sero

§ vitiorum om. A. * etiam—enim A.

† This was Octavian the rival pope, set up by the emperor Frederic in opposition to Alexander III.

‡ mala—mundi mala A.

salute subditorum suorum induti exemplo sacerdotes Domini justitiam, habentes nihilominus ex diuturna consacerdotis sui tribulatione exemplum patientiæ, ex morte constantiam, ex miraculorum signis spem gloriosæ mercedis. Aspiciant et schismatici ad lucernam nostram quam super candelabrum posuit Dominus, et videant ¶ utrum in Ecclesiæ sinu sint constituti, an ab ecclesiasticæ unitatis communione præcisi. Lucernam hanc Gideon noster Christus lagena inclusam in manu quoad libuit portavit, sed confracta carnea martyris testa, § lux non solum religionis ejus et sanctitatis, sed et miraculorum apparuit, et populo, qui ambulabat in tenebris, viam veritatis ostendit. Hæc est etiam lux, per quam Occidentalis Ecclesia in initio schismatis † illuminata divisit lucem a tenebris, et, Octaviano repulso, Catholicum Papam Alexandrum sibi in pastorem elegit, qui si esset schismaticus, nequaquam martyr noster a tanta labe transiisset immunis, nec picem tetigisset quin ab ea inquinaretur. Quod autem inquinatus non fuerit, miraculorum frequentia quotidie comprobatur; nemo enim potens hæc signa facere quæ hic facit, nisi fuerit Deus cum eo. Si autem est manus Domini cum illo, quum specialis extiterit Alexandri Papæ filius, et baculus senectutis ejus in partibus Occidentis, errant profecto qui genua sua curvant ante idolum, contempto Domino qui et Bel eorum destruxit et Draconem interfecit. Redite ergo, prævaricatores, ad cor, et non sit in vobis Deus recens

§ An interesting description of the appearance which Becket's head and face presented after his limbs had been gathered up from the floor where he fell, is found in the contemporary Biographies of the Saint: see Vita Sancti Thomæ, 2 vols 8vo Lond. et Oxon, 1842.

† The schism between the rival popes.

¶ ET VIDEANT om. B.

neque adoretis dominum alienum. Vos adoratis quod nescitis; nos adoramus quod scimus; quoniam Dominus ipse est Deus, qui in Alexandro invenit virum secundum cor suum, et elegit eum ex omni carne pascere Jacob servum suum et Israel hæreditatem suam. Si autem non est electus a Domino, quomodo beatus martyr Thomas et corroborator electionis ejus et sanctus est? Nunquid simul et patri schismatico potuit adhærere et patri placere Altissimo? nunquid simul potuit et schismaticus decedere et post decessum coruscare miraculis? certe, nisi esset hic a Deo, non poterat facere quicquam. Constat igitur quod causa sanctitatis ejus zelus sit catholicæ unitatis et ecclesiasticæ libertatis defensio. Nam et unitatem non deseruit et abusiones tam novas quam veteres, quæ vel Cantuariensis, Romanæ, vel Anglicanæ,§ vel etiam universalis Ecclesiæ dignitatibus videbantur derogare, quatenus potuit eradicavit. Verum tamen, quanquam mortem pro universalis Ecclesiæ defensione susceperit, specialiter tamen pro jure Cantuariensi obtinendo se tradidit.

Viderunt filii majores natu laborantem patrem, periclitantem libertatem maternam, et vili lentis edulio primogenita postponentes, in arcum pravum conversi sunt. Verum athleta Dei fortissimus, nesciens cum filiis Ephraim intendentibus et mittentibus arcum converti in die belli, viriliter egit, et confortatum est cor ejus, nec minus dulciter inauditæ crudelitatis mortem amplexatus est, quam inexplicati gravaminis ante suscepit exilium. Quisquis igitur martyri nostro in sede Cantuariensi successerit, nec dignitates ejus, pro quibus usque ad mortem martyr decertavit, reposcere timeat, nec universalis Ecclesiæ jura

§ Cantuariensis, R. v. A., vel ... Cant. v. A., R., vel A.

contemnat, nec a domini papæ Alexandri ejusque successorum subjectione resilire attentet. Martyris enim nostri magnalia et Alexandrum commendare videntur, et totius Ecclesiæ jura tueri, et martyris Cantuariensis dignitatibus testimonium perhibere justitiæ.

Gaudeat itaque summæ sedis sancta paternitas, tantum se in fine temporum et extremis mundi * finibus habuisse filium: gaudeant Cantuariensis Ecclesiæ filii tantorum sibi miraculorum solatium impendi: gaudeant sub tanti martyris patrocinio totus orbis terrarum et universi qui habitant in eo. Quæ est enim in Ecclesia conditio, quis sexus vel ætas, quis gradus vel ordo, qui non in hoc thesauro nostro aliquid sibi utile inveniat? Administratur hinc schismaticis‡ lumen veritatis, pastoribus timidis confidentia, sanitas ægrotantibus, et pœnitentibus venia: ejus meritis cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, loquuntur muti, pauperes evangelizantur, paralytici convalescunt, detumescunt hydropici, sensui redonantur amentes, curantur epilentici, febricitantes evadunt, et, ut breviter concludatur, omnimoda curatur infirmitas: quæ omnia pene miracula evangelica multipliciter ejus meritis completa sunt. Quater enim invisibiliter advenit ignis et extincta vel super vel circa tumbam ejus luminaria reaccendit, quodque omnibus magis admirandum est et seculis omnibus inusitatum, cuidam, qui et oculis et genitalibus mutilatus est, martyre jugiter invocato, novi oculi et genitalia nova creata sunt. Nec enim legimus quenquam sanctorum temporis retroacti tam repente post obitum in tam brevi tot et tantis coruscasse miraculis, quæ quia ex fratrum voluntate et præcepto litterarum memoriæ commendare compellor, licet nec

* "Penitus toto divisos orbe Britannos." VIRG.

scientia sufficiat nec facundia suppeditet, devotus et libens onus impositum suscipio, confidens in eo qui dixit "Aperi os tuum et ego adimplebo illud." Veniam autem primo ad visiones et revelationes Domini, quibus et lugentes servos suos consolatus est, et martyris sui sanctitatem et gloriam mundo paulatim innotuit. Nec succenseat quæso mihi quispiam, quasi qui operi sequenti somnia pro fundamento substernam: non enim in somniis narrationis meæ fundamenta jacio, sed visiones quæ miræ valde sunt, quasi quædam præludia præmitto. Quia ergo inter sanctos, quorum conversatio in cœlis est, corpore tenus habitans, vitam meam terrenam adhuc esse considero, ut a minoribus ad majora surgat oratio, a me ipso discendi sumatur exordium.

II.

Secundum miraculum. Aspiciebam in visu noctis martyrii ejus, et ecce dilectus noster* candidus et rubicundus, venustus facie, et aspectu desiderabilis, in vestibus et ornamentis pontificalibus, introibat ad altare Dei, quasi missarum celebraturus mysteria. Quod quum etiam sequenti vel tertia nocte vidissem, cogitare cœpi postremo, et, motu labiorum castigato, intra me ipsum dicere, "Nonne jam sæpius per visum mihi dominus meus apparuit? quare dissimulanter egi et ei † non sum loquutus? vadam ad eum et loquetur mecum,‡ aut certe loquar et respondebit mihi;" et accedens cominus, petita et accepta benedictione, subjeci "Ne quæso, domine, irascaris, si te interrogavero," et ille "Loquere." "Domine," inquam, "nonne mortuus es?" et ille Gallice

* NOSTER om. A. † EI om. A.
‡ LOQUETUR MECUM— alloquetur me A.

interroganti respondit sermone Latino, "Mortuus fui, sed surrexi." Tunc ego, "Si vere surrexisti, et inter martyres computandus es, ut credimus, quare te ipsum non manifestas mundo?" Sanctus ad hæc, "Lumen porto, sed non potest¶ propter nebulam interpositam apparere:" hæsitante vero me et usque ad oppositionis hujus‖intelligentiam non attingente, adjecit, "Vis videre?" "Volo" inquam "domine." Prolatam ergo lanternam magnam cum ardente intrinsecus candela manu dextera elevavit, et ut circumspicerem præcepit: et vidi et ecce inane aeris tantæ densitatis nebula repleverat ut etiam prope astantium oculis lucernam furari videretur. Animadverti ergo sermonem quem dixerat, et visionem intellexi, quia videlicet lucerent opera ejus bona coram hominibus, nisi ea nebula persequutionis interpolaret. Sanctus autem, lucerna reposita, ad altare accessit, incipientibus qui aderant introitum missæ festivum et gaudio plenum, hoc scilicet, prout memoriæ occurrit, LÆTARE,* JERUSALEM, ET CONVENTUM FACITE, OMNES QUI DILIGITIS EAM &c. Innuit iis pater pius ne fieret, officiumque doloris et precum absque modulatione musicæ voce submissa in hunc modum inchoavit EXSURGE;† QUARE OBDORMIS, DOMINE? EXSURGE, ET NE REPELLAS IN FINEM; QUARE FACIEM TUAM AVERTIS? OBLIVISCERIS TRIBULATIONEM NOSTRAM? ADHÆSIT IN TERRA VENTER NOSTER: EXSURGE, DOMINE, ADJUVA NOS ET LIBERA NOS!

Ex‡ hoc ergo, quod ait "Mortuus fui sed surrexi," excitatus cogitare cœpi, quia etsi mortuus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.

¶ POTEST— possum A. ‖ OPPOSITIONIS HUJUS — propositionis ejus A.

* LÆTARE HIERUSALEM is the INTROIT used on the fourth Sunday in Lent.

† This is the introit for Sexagesima Sunday. ‡ Ex—et A.

Sicut et episcopo Exoniensi Bartholomæo,§ ex morte ejus graviter dolenti, vir quidam in somniis adsistens innotuit. "Unde" inquit "doles?" et ille "Super domino nostro Cantuariensi, quia mortuus est." "Verum est," inquit, "homo ille mortuus est, sed manus ejus et brachia vivunt." Vivit itaque martyr noster, quia, ut ipsam ejusdem episcopi ponam expositionem, vivunt et manus ejus ad operandum et brachia ejus ad vindicandum. Porro ex hoc quod eum cum tanta devotione orantem aspexi, intellexi quoniam hic est qui multum orat pro populo et universa sancta civitate Christi, vera Jerusalem, et scimus quidem quoniam diligentibus eum fiducia magna erit coram summo Deo ejus oratio. Viva est enim vox ejus et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, sicut et cuidam venerabili viro in somnis ostensum est.

III.

Qui quum, martyris consummato certamine, dedisset somnum oculis suis et palpebris suis dormitationem, subito vox quasi in sublime ascendentis, auribus ejus insonuit, horrendum clamans ac dicens, "Ecce sanguis meus magis clamat ad Dominum de terra quam sanguis Abel justi qui occisus est ab origine mundi." Apud ARGENTIUM * autem hoc accidit nocte præcedenti diem illam luctuosam, in qua luctuosus ille rumor de morte martyris in eadem villa primo insonuit, exterritus autem vir præfatus, studiose satis sed in-

§ Bartholomew, bishop of Exeter in the time of Becket, was a worthy and upright man; though like other bishops of that time, he found it extremely difficult to steer his course between the conflicting interests of the Throne and the Church. He was an intimate friend of John of Salisbury, and some interesting letters passed between them, which are still extant, and may be found in JOANNIS SARESBERIENSIS OPERA, 8vo, vols 1 & 2.

* ARGENTIUM. Argentan a town in Normandy.

efficaciter, cæpit discutere quid res ista portenderet. Considentibus in crastino quibusdam cum eo, et super eventibus rerum variis adinvicem conferentibus, contulit et ipse in audientiam cunctorum involucrum suum, ut illud evolverent: oculi autem eorum tenebantur† ne illud intelligerent, eo quod de morte nostri Abel nihil adhuc in partibus illis esset auditum. Et factum est, dum ambularent, fabularentur, et secum quærerent, introivit qui dominum Cantuariensem in ecclesia sua ferro trucidatum assereret. Attoniti autem, et ad illum qui somnium recitaverat conversi, "Profecto" inquiunt "hæc est vox clamosa quam audiisti; quia procul dubio clamabat ‡ sanguis hic innocens ad Deum in fortitudine magna." Testimonium ergo perhibebant omnes, quia verum esset somnium et interpretatio ¶ ejus; et scimus quia verum est testimonium eorum. A sanguine autem Abel usque ad sanguinem justi hujus, qui effusus est in templo Dei, non est auditus clamor similis in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, qui omnes mundi angulos tam repente repleverit. Quod autem in omnem terram sic exiturus fuisset sonus illius, et de gloria ejus narrarent omnes gentes, cuidam in somnis præfiguratum est, et manifeste satis prædictum.

IV.

Perpaucis namque ab occasu nostri solis noctibus, potius quam diebus evolutis, puero innocentis adhuc ætatis et a mendacii suspicione satis libero, diversi sexus et ordinis multitudo in chorum Cantuariensis ecclesiæ visa est convenisse: videbant autem martyrem absque flatu vitali super altare Christi veste holoserica indutum, et sub capite illius

---

† tenebantur—interiores tenebantur A.

‡ clamabat—clamat A. ¶ interpretatio— computatio A.

pulvinar nihilominus de serico: caput martyris reverenda persona in habitu monachili manibus utrisque fulciebat: et visæ sunt subito virgulæ duæ ab utroque martyris latere quasi de stipite uno pullulare, quæ paulatim in altum porrectæ culmen ecclesiæ jamjamque penetrare minabantur, et stabant omnes in circuitu, et intuebantur virgas vehementer crescentes et admirabantur valde, et dixit qui sedebat in habitu monachili, "Viri fratres, quid statis aspicientes, et in aspectu virgarum admiramini? famam sancti martyris hujus et gloriam præsignant: quemadmodum enim vidistis eas euntes in cœlum, ita et Sancti hujus gloria coram Domino crescet et multiplicabitur: crescent autem in sublime valde, spargentque ramos in omnem terram, et longitudinis eorum non erit finis." Multa vir ille circa hæc dixisse visus est et dignum Deo Sanctum dignis extulisse præconiis; sed ætas tenella nec multorum capax vix pauca de multis retinere poterat. Revocatus tandem puer a somno patrem suum ecclesiam Christi adire volentem comitari voluit. * Utroque chorum ingresso, nihil eorum inveniens quæ viderat, mirari cœpit, et aspectu instabili patris animum sollicitare. Narravit itaque patri interroganti quid viderit, quid audierit; cognovit autem pater, et intimis † aliquorum auribus prædixit, quia magnus martyr surrexit in nobis, et quia revera exaltabitur, et elevabitur et sublimis erit valde: et jam quidem cernimus quod magnificavit eum Dominus in conspectu regum, et laudis ejus plena est terra.

Porro quomodo exaltatus fuerit et elevatus, gloriaque et honore coronatus in cœlo, perpendi utcunque poterit ex visione sequenti.

* A. adds "quod importunus obtinuit."

† INTIMIS — invitis A.

V.

Eadem septimana, qua martyr ad octavam transiit, monacho cuidam in cœnobio Lewensi frater multis ante diebus defunctus apparuit. At ille, mortuum esse recolens quem videbat, inter alia multa quæ ab eo interrogavit, etiam de domini Cantuariensis statu nuper interfecti diligenter inquisivit, in cujus laudem et gloriam ille qui adstabat, plurima disserens, ut multa breviter dicantur, in hoc sermone clausit, quia a beata virgine Maria sanctisque apostolis, necnon et quibusdam martyrum et confessorum virginumque ante thronum grandem aureum sit præsentatus habentem valvas duas quæ claudebantur et aperiebantur; exiisse autem de throno speciosum forma præ filiis hominum, de cujus conspectu solo fidelium animæ beatificantur et vivunt, et beatum Thomam amplexatum fuisse, et osculo ei porrecto, benedictionem suam illi contulisse, assumptum vero postea martyrem a sanctis et cum apostolis reverentissime collocatum: admiranti autem qui hoc audiebat, causamque scire desideranti, quare cæteris martyr martyribus dignior em sedem sit assequutus, maximeque protomartyre Stephano, sanctoque Laurentio atque Vincentio, dignioris eum fuisse gradus et ordinis responsum est, illorum quoque singulos singulare iniisse certamen, et capitis proprii causam egisse: occubuisse vero dominum Cantuariensem in causa universali ‡: alios præterea martyres ab alienis ¶ fuisse occisos, hunc vero a filiis propriis peremptum. Hæc tamen absque sanctorum martyrum dixerim injuria, quum fuerit intentio mea visionis summam simpliciter potius enarrare quam

‡ UNIVERSALI — universalis ecclesiæ A.

¶ AB ALIENIS — a gentilibus A.

temere aliquid de rebus tam incognitis asserere, quanquam et ante annos duodecim quiddam in extremis Angliæ finibus contigerit, quod præsenti visioni pondus firmitatis et veritatis videtur præbere ingenuum testimonium. Juvenis quidam, Onias || nomine, eductus de corpore, post aliquot dies corpori restitutus est: enarravit ergo quæ illo in seculo viderat, mira quidem * et admirationem ab audientibus extorquentia. Inter alia vero, quæ retulit, "Ductus sum," inquit, "usque ad supremum Sanctorum ordinem, et dixi ductori meo 'Domine, qui sunt isti?' et ille, 'Apostoli Christi sunt?' 'Aspexi itaque et vidi inter Apostolos et martyres sedem § vacuam, et percunctatus sum quare esset vacuus locus ille, vel quis illic esset sessurus; et angelus ad me 'Sedes est cujusdam sacerdotis Anglorum:'" ut cessavit autem loqui communicans migravit e corpore. Multi igitur dictis ejus fidem habuerunt, quæ per mortem ejus repentinam quasi confirmata videbatur, sacerdotem autem illum, de quo mentionem fecerat, celeberrimi nominis eremitam esse putabant, cujus similem in religione et merito sanctitatis non noverant: nunc autem tum ex visionum concordia, tum ex martyrii privilegio, tum ex nomine et dignitate sacerdotii, colligimus martyri nostro potius quam illi solitario sedem illam fuisse in cœlis paratam; maxime quum ille tantum unius anguli presbyter, iste totius Angliæ summus sacerdos extiterit. Nihil tamen in his omnibus ex animi mea sententia diffinio, nec martyrem nostrum super omnes martyres ausu temerario extollo: veruntamen, quantum ex verbis ejus et actionibus verisimiliter colligo, nulli unquam potuit esse vel causa martyri gloriosior, vel potentior suf-

---

|| ONIAS — Ormus A. * QUIDEM — quædam A.
§ SEDEM — sedem quandam A.

ferendæ adversitatis animus vel morlendi pro Christo et Ecclesia major affectus. Unde et placita erat Deo anima illius, et festinavit illum educere Dominus de medio iniquitatum, ut esset videlicet ex ejus triumpho gaudium angelis Dei in cœlo, et Ecclesiæ, diutini squalore mœroris afflictæ, per miraculorum coruscationem redderetur lætitia; sicut et cuidam fratrum Cantuariensis ecclesiæ dormienti insinuatione pulcherrima innotuit esse futurum.

VI.

Putabat enim in chorum ecclesiæ prædictæ ordinis diversi turbam quasi ad diem festum confluxisse et matutinas* solenniter inchoasse, perlecta vero lectione quarta non extitisse qui responsorium subnecteret, quumque attoniti starent, summumque fieret in choro silentium, surrexisse præcipui decoris juvenem, et responsorium istud dulcissima vocis modulatione omnibus in illum concedentibus cecinisse. Ex summa rerum lætitia summus fit planctus in ecclesia de tanti patroni absentia, sed quum cœperint fieri miracula redit populo lætitia, et responsorio expleto versum quoque juvenis idem annexuit; † concurrit turba languidorum et consequitur gratiam beneficiorum. Evigilans autem frater prædictus, cæteris in mœrore constitutis, quod audierat communicavit, et quosdam spe futuræ lætitiæ refovit: quibusdam autem paternæ mortis renovavit augmentavitque dolorem.

VII.

Præ cæteris tamen unus luctu deperibat assiduo, dicentibus nonnullis nostrum quod et dolori ejus simul et vitæ mors finem imponeret. Non poterat diu pater pius sus-

---

* MATUTINAS — matutinos A. † ANNEXUIT — adjunxit A.

tinere mœrorem: sed, quemadmodum mater consolatur filios suos, ita et ipse consolatus est eum et tristitiam ejus convertit in gaudium: dormientem quippe visitavit, et psalmo quinquagesimo incepto, ut secum oraret commonuit. Jam psalmus alternatis versibus trahi videbatur ad finem, quum sanctus paulatim elongatus quasi minabatur abscessum, ejulat ille mox ut advertit, et majori paternæ præsentiæ desiderio accensus, lacrimis eum satagit retinere. Redit pater, quasi plorante filio commotus, et ait "Quid, fili, tristaris? noli contristari et mœstus esse, sed potius a dolore tempera: nam priusquam finem sumat septimana septima, rumores accipies unde non mediocriter exultabis: cessa igitur a mœrore, et forti animo esto quia in proximo est ut consolationem accipias." Hæc sancti promissio quanta veritate subnixa extiterit, hebdomada Paschalis, quæ ab illo die quarta fuit vel quinta, manifeste satis comprobavit: ea enim hebdomada manifeste sunt multiplicata miracula, reserata ostia ecclesiæ et languentes qui convenerant ad martyris sepulcrum admissi, tantamque gratiam sanitatum contulit Dominus infirmis ut singulis diebus evangelicum illud cum gaudio possemus dicere, quia 'Vidimus mirabilia hodie.' Plura tamen signa per Angliam, suffragante martyre, citra Pascha facta fuerant, non autem manifeste, sed quasi in occulto, quorum quædam recenter post martyrium quædam vero ei processu temporis quasi in aure audivimus, et super tecta quandoque prædicanda suscepimus: noluimus autem statim tuba canere ante nos vel magnificare fimbrios, sed obmutuimus et siluimus a bonis, donec statueret Dominus procellam in auram, expectantes promissionem patris quam audivit decem annis ante martyris passionem peregrinus quidam Anglicus ab Hierosolymis rediens per os monachi cujusdam urbi Cantuariæ factam. Videbatur enim monachus

ille quasi prophetans et insiliente in eum spiritu multa prædicebat quæ audientes sæpissime compleri videbant. Quum ergo una dierum peregrinum intueretur adstantem " Amice " inquit " unde es? " At ille " De Anglia." Tunc monachus, " O Anglia, Anglia! quam amœna futura es? " Rursumque ad peregrinum, " Cantuariæ unquam " inquit " fuisti? Quo respondente se nunquam urbem illam vidisse, " O" inquit " Cantuaria, Cantuaria! quam amœna, quam delectabilis futura es! ecce enim venient dies, in quibus fluent ad eam populi, sicut impræsentiarum frequentatum videmus beatum Ægidium, vel beatum Jacobum, vel Romam, vel Jerosolymam. Hoc peregrinus a Jerosolymis regressus nonnullis narravit fere decem annis ante piissimi patris nostri Thomæ martyrium, qui etiam quum audiret urbem Cantuariensem crebris illustrari miraculis, dixit ad dominam suam, Bertham de Glocestria, matronam valde venerabilem, " Meministi, domina, eorum quæ a monacho illo a Jerosolymis revertens accepi, tibique quum inde rediissem retuli? " At illa, " Bene memini." Tunc peregrinus " Certe, quæ tunc mihi de Cantuaria dicta sunt, his diebus reor esse complenda." Hæc et ab eodem peregrino et ab eadem matrona nobis cum magna veritatis attestatione relata sunt.

Quocunque spiritu hæc prædicta fuerunt, magnum cernimus veritatis principium, et tam ex miraculorum quam ex populorum frequentia compleri ea quandoque posse conjicimus, et quidem de populi concursu amplius videtur esse mirandum quam de miraculis, nisi quia et hoc ipsum miraculum est; quid enim miraculosius, quid mirabilius, quam ut hominem hodie mundus adoret, quem heri abominabatur; ad eum hodie confugiat, quem heri fugiebat; ejus hodie apud Deum imploret patrocinium cujus heri vel ex metu terrenæ potestatis vel ex propria

mentis malitia declinabat consortium? Istud inter maxima miracula nonnullis sapientibus maximum esse videtur.

VIII.

Quoniam igitur persequutionis nebulam, quæ lucernam martyris, ut superius dictum est, interpolabat,* Deus attenuavit, et a visionibus ad miraculorum mentionem sermo transivit, illis omissis hæc libet subnectere, ne signorum penuria somniorum næniis dicamur immorari, et eorum quidem duntaxat teximus historiam quam vel oculis nostris perspeximus vel ab ipsis infirmis jam sanatis, eorumque testibus audivimus, vel virorum religiosorum, qui ea oculis suis viderant, didicimus testimonio. Stultum est gratiam et gloriam, quam dedit Deus, velle abscondere, et impietati simillimum his, qui in tenebris et umbra mortis sedent, gaudium lucis nolle annunciare. Ecce namque beatissimus Christi martyr Thomas mundum rursus et solito uberius illuminat; mundo iterum factus est asylum, qui quamdiu fuit in mundo lux fuit mundi et turris ejus fortitudinis a facie inimici: unde nec potuit mundum tenebrosum tanti solis latere occasus, nec tanta turris sonitum magnum non dare quum caderet: fractum est alabastrum in Cantuariensi ecclesia, et repente repleta est domus universalis ex odore unguenti. Athletæ constantissimi gloriosus triumphus nec aulas principum latuit, nec pauperum præterivit tuguria: mors ejus cunctis etiam longius remotis absque cunctatione innotuit.

IX.

Perlatus est rumor execrandi facinoris die tertio in militis domum de Sussexia, Roberti de Sancto Andrea nomine, cujus uxor Emma gravi pressa infirmitate lucis etiam bene-

---

* See page 40.

ficio destituta jacebat: excæcaverat eam ipsius infirmitatis vehementia. Audivit mulier, et conturbatus est venter ejus, et cor ejus contremuit, et ab imo pectore * longiora trahens suspiria, "Ecce," inquit, "pretiosum Christus martyrem fecit." Nec solummodo martyrem vocavit, sed et invocavit hujuscemodi verba subnectens, "Sancte Thoma, martyr Christi pretiose, tibi me devoveo: si mihi subtractam visus gratiam restitueris, et revocaveris me ad salutem, locum requietionis tuæ adibo, vota tibi cum muneribus oblatura." Mirum fidei florem mirabilior fidei fructus sequutus est: statim namque, ac si conversus ad eam martyr voce dominica respondisset, "O mulier, magna est fides tua; fiat tibi sicut vis," quasi sub horæ dimidiæ spatio voti compos effecta visum recepit, et citra sextum diem a lecto surrexit. Votum igitur assequuta voti solutionem vel negligentia vel oblivione diutius protelavit: correpta est iterum atque correcta gravioris flagello infirmitatis. Renovavit votum; convaluit illico et Cantuariam una cum viro suo et domesticis, super duplicata Christi gratia gratias martyri actura convolavit. Hoc fecit initium signorum Jesus in Sussessia Angliæ, et manifestavit gloriam martyris sui coram discipulis ejus, nobis, qui manducavimus et bibimus cum illo, priusquam in utero virginis et matris Ecclesiæ perimeretur; et pulchre satis die tertio sunt inchoata miracula, ut quia se sanctus mira concurrentium circumstantiarum similitudine Christi cruci confixerat, sicut proditionis et ignominiæ modum sustinuit, sic et acceleratæ manifestationis mereretur honorem.

---

* PECTORE — pectoris A.

X.

Quintum quoque a martyrio diem secundi gloria signi fecit insignem. Longa terrarum spatia spatio temporis breviori percurrens, apud Gloecestriam eo die flebilis rumor increbruit: erat illic Adelizæ Londoniensis filia insipiens quasi annorum sedecim, puellina, cui a quinto nativitatis suæ anno caput singulis mensibus intumescens totum corpus pene reddebat immobile; mensibus hyemalibus et tumor et dolor post diem secundum evanescebat vel tertium, æstivis autem sæpenumero hebdomada integra permanebat: puella interim, capite jacens supino, corpus nec in latus commutare poterat nec movere; nulla erat vigilanti requies, nulla vel minima dormiendi facultas. Attentaverat, licet teneræ adhuc esset ætatis, potiones et medicinas plurimas; inustiones non paucas sustinuerat, quibus idem morbus nec castigari potuit nec expelli. Mater igitur ægrotantis, audita venerandi patris passione, martyrem et credit et confitetur patrem: arbitrata suscepisse potius quam perdidisse patronum spondet martyri mater pro filia et voto eam obligat devotæ peregrinationis, si eam a tantæ infirmitatis ligamine martyr absolvat. Dicendi vix finem fecerat, quum se puella, quæ tunc forte more solito laborabat, in latus vertit et obdormivit; sicque excitata illa pestis eadem radicitus avulsa est, ut ulterius nullas ipsius * sentiret in se remansisse reliquias. Audivimus utramque postea et oculis nostris perspeximus, et miraculo huic irrefragabilis testimonii sententia comprobato fidem adhibendam esse censuimus; alioquin argueret nos incredulitatis diei sequentis prodigium, quod præcedenti signo inconcusso videbatur

* NULLAS IPSIUS—ipsius non B.

testimonio suffragari. Propter alios tamen, et maxime propter malignantium obtrectationes, de singulis dubitari non erat inutile. Dubitatum est † a nobis, ne dubitaretur ab illis: duros nos et quasi incredulos in examinatione veritatis exhibuimus, ut veritatis adversarii vel ad credendum frangerentur, vel districta veritatis inquisitione evicti confunderentur.

XI.

Manifestavit ergo iterum martyrem suum Dominus Jesus die sexto in villa de Berkescire, quæ Anglice Æinesburne ‡ vocatur; manifestavit autem sic. Erat illic miles venerabilis, Willelmus Belet nomine, satis celebris, et bonæ opinionis, qui mensibus tribus immoderato brachii sinistri cruciatus dolore, graviora lecti sustinebat fastidia. Brachii tumor usque ad femoris quantitatem se extenderat: manus expansa pugni potius formam prætendebat quam manus: digitorum grossitudo tanta ut vix aliqua digitorum videretur forma. Contigit ergo, tertio Nonas Januarii,¶ die Sabbati, die sexto a beati martyris triumpho, matremfamilias, domum ab ecclesia reversam, in fletus tenerrimos erumpere. Suspicatus miles quod ex compassione sui ploraret, ut lacrimas comprimeret, blandis eam castigavit sermonibus, "bonum sibi esse flagellum Domini" asserens; "evadere se posse quando Divinæ pietati placeret." At mulier in hæc verba respondit, "Non est, carissime domine, non est ut estimas, non tua solummodo causa sollicita sum, sed nostrum et totius patriæ patrem, dominum scilicet Cantuar., ego defleo,

† DUBITATUM—dubitandum B.

‡ ÆNESBURNE— Asneburna B. I cannot ascertain the modern name of this village.

¶ The third day before the Nones of January is January the 3rd.

qui sceleratissimorum satellitum gladiis in ecclesia sua ‡ peremptus est," et incipiens omnia ei juxta quod audierat exposuit. Tunc ille "Vere pretiosus Dei martyr est," et ad preces conversus "Pretiose" inquit "martyr Thoma, sicut verum est quod pro Dei amore et Ecclesiæ libertate tuenda sustinuisti passionem, et sicut credo te * Christi martyrem esse, sic me a valetudinis hujus miseria, qua laboro, digneris eripere. Si mihi evadendi gratiam impetraveris, ad sanctum sepulcrum tuum me peregrinum habebis. O quam firma fides infirmi, quam meritoria, quam cito remunerata! Sub fine orationis finis initium dolor invenit: nocte sequenti, suavi et sufficiente somno præter solitum relevatus est: evigilans autem ita se renovatum invenit ut expulso dolore, tumore compresso, sinistra dextræ prorsus esset gracilitate consimilis. Hoc jam tertio manifestavit se in martyre suo Jesus, postquam in eo iterum est crucifixus.

XII.

Tertia § autem die apud Cantuariam quarti miraculi lumen illuxit. Paupercula quædam, Brihtiva nomine, cæcitatem incurrerat. Sicut tenebræ ejus ita et lumen ejus. Tacta itaque majestatis spiritu, quamvis simplex, quamvis illiterata, quamvis cæca corpore, vidit tamen non posse non esse martyrem, qui sic occubuisset. Unde in fide radicata et fundata, vicinum petiit hospitium matrisfamilias supplicans ut si quid quod de martyre esset acquisisset, ad tangenda lumina lumine * carentia sibi commodaret: protulit illa panniculum rubentem, qui martyris adhuc liquido cruore madebat; tersit cæca oculos suos, et cæcitatis abstersit caliginem: ducta venerat; alterius absque ducatu rediit.

---

* TE om. A. § TERTIA—Altera A. * LUMINE om. A.

XIII.

Et post dies octo quinti nobis miraculi succrevit lætitia. Innocentis simplicitatis et simplicis innocentiæ viro, Willelmo, presbytero Londoniensi, dum quarto die ante natale beati Thomæ, in natali videlicet protomartyris Stephani, discumberet, officium linguæ paralysis repente subtraxerat. Vocati sunt medici periti duo: spondet illi uterque auxilium; suscipit ægrotus ab utroque singulatim theriacam, quam se uterque probatissimam habere jactaverat; sed nulla theriacæ efficacia, nullus ægroti profectus: quumque sanctissimus Dei sacerdos se ipsum Christo in Christi et pro Christi Ecclesia sacrificium obtulisset Deo, et per sanguinem proprium in sancta sanctorum introisset, apparuit alii clerico Londoniensi vir quidem clarissimi et reverentissimi aspectus, dicens, " Surge, vade et dic Willelmo presbytero ut Cantuariam ad novum Christi martyrem pergat: si stilla sacri cruoris linguæ illius fuerit superposita, reformabitur ad loquelam." Rursumque, quum discederet, "Audisti," inquit, " quæ dicta sunt tibi? cave ne mandata prætereas." Venit ille nuncians presbytero juxta quod in mandatis acceperat: credit homo sermoni, quem dixit ei nuntius, et profectus est statim. Venit itaque Cantuariam, et ad tumbam sancti martyris, impetrata licentia, pernox in oratione vigilavit. Datur ei sanguinis gutta, quam postulat: insuper et potus aquæ stilla simili sanctificatæ impenditur: quod proculdulio voluntate divina receptum est et usque in præsentem diem frequentatum; qui enim dixit; 'Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus,' sicut beatum Thomam in vita et passione perfectissimum sui fecit imitatorem, ita ei et post mortem sui similitudinem admiranda perfectione concedere voluit, ut quemadmodum Christi sanguis cum

aqua transit ad vegetationem animarum, ita et servi sui sanguis cum aqua bibitus transeat in sanitatem corpoream; nec credimus aliquem hactenus extitisse, cui Deus hanc similitudinis prærogativam concesserit. Solius enim sancti hujus cruor et domini in universo mundo hauriri legitur * : quod tamen non absque magno timore inceptum est, verum viso quia proveniret infirmis inde profectus, cedente timore paulatim accessit securitas. Primus itaque omnium presbyter prædictus martyris cruorem gustavit, et loquendi gratiam, licet minus perfecte, recepit: quod autem apud Cantuariam minus ei restitutum est, reverso plenius est collatum. Rediit igitur exultans et in martyre suo Dominum magnifice collaudans, occulte tamen propter metum Judaizantium persequutorum: Judaizantium, quia quemadmodum Judæi nomen occisi Christi, ita et hi perempti martyris gloriam extinguere satagebant, et memoriam ejus delere de terra. Unde nemo adhuc palam loquebatur de eo, nec ejus magnalia publice confitebatur, sed erat super his murmur multum in populo. Jam enim conspiraverant Dei et martyris adversarii, ut ubi invenirent hujus viæ viros, vel statim mulctarent vel in præsidia sua † vinctos abducerent. Exiit etiam ab iis quasi sub nomine publicæ potestatis ‡ edictum, ne quis ulterius in hoc nomine loqueretur. Sed frustra solis radios occultare nitebantur: dolere quippe poterant

* I do not remember to have seen it remarked anywhere else, that drops of Thomas à Becket's blood were given to be drunk by the sick and diseased, to cure their infirmities: or that Thomas à Becket was the only saint whose blood was drunk in this manner.

† PRÆSIDIA. The castles and strongholds of the barons. I have seen it somewhere remarked that in the reign of King Stephen, i. e. only a few years before the date of this book, there were no less than a thousand castles in England.

‡ PUBLICA POTESTAS is the expression by which the king's government was generally designated.

ejus gloriam, non delere: elevata est enim magnificentia ejus super cœlos, et super omnem terram gloria sua. Unde et nos, quum obedire oporteat Deo magis quam hominibus, non possumus quæ vidimus et audimus non loqui.

XIV.

Noti itaque nominis et magnæ erga beatum Thomam devotionis vidimus militem de Hoilandia, nomine Stephanum, quem annis minus non triginta dæmonium in somnis, per singulas noctes fatigaverat; ita ut vel oppressus vel suffocatus, nisi citius excitaretur, deficeret. Clamare consueverat in somnis oppressus, et servientes suos propriis appellando nominibus ut sibi succurrerent impetrare. Excitati illi vel etiam circa eum ex ejus præcepto nonnunquam excubantes clamantem durius excutiebant; erigebant quandoque ita ut sederet vel staret erectus; loquebatur iis sæpenumero ita ut in pedibus consistebat, rogans ut saltem per capillos acrius excussum excitarent. In tanta igitur angustia triginta circiter expleverat annos, ut omnibus possessionibus suis mallet renuntiare quam adeo intolerabili phantasia vexari. Multis loquutus medicis, et multis eos muneribus amplians et amplioribus suspendens, nihil omnino profecit. Dicentibus tamen ephyallem adesse quod vulgus incubonem Latini oppressorem appellant, ipse autem constanter id esse dæmonium asserebat. Vivebat adhuc dominus noster Cantuariensis præter carnem in carne, et ab exilio jam revocatus, in patriarchatus sui sede certaminis sui bravium expectabat. Quum ergo miles ante domini ejusdem passionem aliquando obdormiens solita laboraret miseria, visus est sibi Dominum per singulorum merita sanctorum, quorum ei nomina occurrere

potuerant, adjurare, ut sibi fugato dæmonio quietis impenderet beneficium: nihilque proficiens, casu, vel potius nutu et instinctu Divino subjecit "Domine, pro amore archiepiscopi Cantuariensis, qui pro te et ecclesiæ tuæ libertate exulavit, libera me!" Nullo sequente petitionis effectu, recogitans quod multi * archiepiscoporum Cantuariensium eadem de causa relegati fuissent, adjunxit, "Domine, pro amore archiepiscopi Thomæ," sed nec sic redeunte quiete, estimans plures Cantuariæ dominos ejusdem nominis extitisse, ut ei cui nihil potest esse ambiguum omnem ambiguitatem excluderet, "Thomæ," inquit, "qui pro te ultimus exulavit!" statim evanescente, qui eum vexabat, morbo liberatus est.

Alia quoque nocte, eodem laborans incommodo, ejusdem nominis invocatione statim se lætatur ereptum. Post passionem vero Sancti, quum, audito ejus transitu, qui statim replevit orbem terrarum, pro eo celebrari fecisset † exequias, inflictam sibi a pueritia pœnam penitus evasit. Apparuit ei tamen aliqua vice velut nani assumpta specie prædictum dæmonium, et quasi accessu prorsus ei denegato jacentem a longe girabat, ita ut ei miles insultaret et diceret "Beati martyris Thomæ meritis confisus, non te formido: ipsius me gratia proteget, et a potestate tua recipiet." Ab illa hora et deinceps, nulla ejusmodi phantasia militem inquietavit. Interposito ergo temporis intervallo, quum certam suæ liberationis haberet experientiam, sancti memoriam pedes adiit; cordis ejus humilitatem habitus despicabilis

* Several archbishops of Canterbury were exiled on account of their disputes with the king; the most celebrated of these was Anselm, who was always at variance with William Rufus.

† FECISSET —— FECIT A.

quem assumpserat indicabat. Sermo ista narrantis miram mentis sapiebat lætitiam: martyrem nobis coram miro extollebat affectu, qui vivens de tanta illum angustia et semel et secundo eripuisset, mortuus vero semel et secundo non erat opus.

XV.

Nec fuit famulo Willelmi de Warbetono, § Willelmo Patricio, minor lætitiæ vel causa vel copia, qui non a phantastica illusione, sed a vero et vehementi dentium dolore mirabiliter ereptus est; erat enim tumor maxillæ maximus, dolor immoderatus, adeo ut gestus et clamoris causam ignoranti furere potius videretur quam dolere, et, nisi citius continuisset manum suam, et allevasset eum Dominus, profecto amentiæ suspicione conjectus esset in vincula: sed miseratione Divina vinculorum duritiam per molles suavissimi somni nexus evasit. Dormiens enim elegantissimæ formæ juvenem sibi vidit adsistere, qui interrogatus quis esset, et clericum se domini Cantuariensis esse professus, præmunitus est ab infirmo atque præmonitus, ne cui hoc profiteretur, nemini tutam esse in Anglia propter martyris adversarios professionem hujusmodi. At ille "Non eos" inquit "reformido; paveant illi et non paveam ego: ecce domini papæ literas affero, ut pœnas solvant, qui in martyris morte deliquerunt: cæteri autem quaquaversum per Angliam constituti sic erunt liberi sicut immunes extiterunt a culpa:" et nomine cujusdam expresso, quem B. Thomas in scriptis suis *Prædictionis filium* appellare consueverat, "Ille" inquit "ex directo in puteum tendit Gehennalem, tu vero, juvenis, quid habes?" Revelavit æger quid pateretur, responsumque suscepit hujusmodi,

§ FAMULO ..... WARBETONO, om. A.

"Aperi os tuum et refrigerium tibi conferam domini Cantuariensis pallio, quo passionis suæ hora fuit indutus," et arrepta ‡ chlamydis ora, in os ægrotantis apertum tenuem auram ventilavit, et eandem chlamydem tumidæ faciei apposuit. Expergefactus ille ab omni malo ¶ dolore se liberatum invenit, et super se ipsum plurimum miratus, non sine majori audientium admiratione, pallium sancti, quod nunquam viderat, quale fuerit, veraciter descripsit. Hæc non cognoverunt discipuli ejus primo, sed postquam multiciplicata sunt miracula, et multa corpora sanctorum, qui quadam teporis seu formidinis inertia obdormierant, per devotionem surrexerunt et ad martyrem catervatim cucurrerunt. Venit et prædictus juvenis una cum domino suo in sanctam Cantuariensem civitatem, et apparuit multis, et a cordibus nostris, per quos eventus hujus fama præcurrerat, ambiguitatis strumam amputavit. Factum est autem miraculum istud circa Quadragesimam; hoc nobis circa || sacros dies Pentecostes ostensum.

XVI.

Quibus etiam diebus, quum jam crebris miraculorum signis sancta Cantuariensis coruscasset ecclesia, et infirmis per totam ecclesiam laborantibus juxta commissa curam intenderem,* adultæ jam ætatis clericum inveni, a sancti martyris memoria completis orationibus recedentem: dicebatur autem Robertus, militis cujusdam Willelmi de Surreiæ provincia filius: villæ nomen barbarum† memoriæ

‡ ARREPTA —— ACCEPTA A. ¶ OMNI MALO —— OMNIMODO A.

|| CIRCA ..... CIRCA —— CITRA ..... CITRA A.

* INTENDEREM. The use of the first person in this place shews that the writer of this work was a member of the Church of Canterbury, and is applicable to Benedict, abbat of Peterborough. See the Preface.

† It would be curious to know what village in Surrey bore this

meæ tenaciter non adhæsit. Asseveravit autem se juvenis idem vi febrium septimanis aliquot laborasse, commonitum fuisse satis ad beati Thomæ merita confugere, et monita se contempsisse, tandem vere se Londonias contulit ‡, ut ibi a medicis curaretur, et quod a febribus longe periculosius esse constat, hepaticum se medicorum judicio comperit ¶: partem enim corporis dextram a scapulis usque ad ilia dolor occupaverat, squalebat pallore facies, febres corpus depascebant, tussis arida pectus anhelum fatigabat, hepatisque duritia, quam physici sclirosim appellant, manui, si forte apponeretur, lapidis instar offerebat, nec sub costas digitos admittebat.§ Hujusmodi signorum indiciis hepaticus deprehensus, quum nulla medicorum industria, licet satis instantium, posset curari, febribus tantum temperatis, desperatus ab omnibus, in sua dimissus et septimanis undecim lecti tædio est affectus. In se autem reversus et ad sanctum Thomam conversus, ejus sibi merita postulabat suffragari. O res digna spectaculo, jucunda relatu! Una eademque hora et orationem fudit et meliorationem suscepit. Reformatus igitur ad vigorem eodem die surrexit, nec ulterius illius infirmitatis necessitate lecto decubuit. Facta est autem salus hæc et virtus viro circa medios dies, salutis tempore videlicet Quadragesimali, animumque satis habebat intensum sub festinatione Cantuariam venire. Videns vero ventum persequutionis adhuc validum, timuit illo ire, et desiderii sui effectum usque in tempora minus

---

"barbarous name." The general use of the Latin language all over Europe in the middle Ages has had a bad effect on the vernacular names of persons and places.

‡ CONTULIT —— PORTATUM A.

¶ COMPERIT —— COMPROBATUM A.

§ ADMITTEBAT —— PERMITTEBAT A.

periculosa porrexit. Nondum enim imperaverat Dominus ventis et mari, ut fieret tranquillitas; sed jactabatur adhuc navis in mediis fluctibus, et satagebant martyris persequutores, ut eraderetur nomen illius de terra, et addidit e contra Dominus sanctum suum mirificare.

XVII.

Mulier prægnans, Aiditha nomine *, de Werde, venit usque ad partum, et non erat virtus pariendi. Tribus autem diebus noctibusque totidem parturiens, nec pariens, et ex nimia doloris angustia morti appropinquans, accito presbytero suo, qui consanguineus ejus erat, viaticum suscepit, seseque orationibus illius arctius commendavit, ne videlicet oblivisceretur mortuæ, quam vivam caste dilexerat; at ille dolori patientis compassus "Ecce" inquit "orarium habeo a Dei martyre Thoma Cantuariensi archiepiscopo benedictum: confide igitur suis te posse meritis liberari, et proculdubio liberaberis." Adhibet illa fidem et cum fide nomine martyris invocato, cingitur orario. Vix presbyter a domo stadii unius spatio fuerat elongatus, quum, revocante illum patrefamilias, cognovit quod peperisset mulier, et jam pressuræ non meminit, quia natus est homo in mundum.

XVIII.

Pretiosi etiam sanguinis, in Christi ecclesia Cantuariæ pro Christo effusi, religiosa quædam mulier Wliuva conquisierat portionem, quantum videlicet nucis Avellanæ concha continere valeret. Erat autem tunc temporis eadem mulier xenodochii cujusdam custos, pauperibus ministrans et peregrinis. Postea vero leprosorum servitiis mancipata in

* MULIER ..... WERDE, —— Mulier autem prægnans, Aiditha nomine, de Werde, A.

gravioris se ipsam conjecit vincula servitutis, donec tandem ad quietem se transtulit anachoreticam. Acquisita igitur, ut diximus, pretiosi cruoris portione, ad xenodochium reversa est, læta quidem pro sanctuarii pretiositate, sed pro parvitate sollicita. Verebatur enim ne vas ligneum cruorem liquidum totum ebiberet, vel per vasculi fundum diffusum, et congelatum ipsa, quum vellet, non posset avellere. Excogitato igitur secum consilio, panno ligneo sanguinem diligenter abstersit, recogitans quod pannus infectus sanctuarium partiri volenti largius responderet, et quod vas ipsum ad aliud aliquid sibi foret necessarium, involuto vero panno et vase in arca reposito, quum in crastino visura sanctuarium arcam reserasset et vasculum aperuisset, tantumdem in eo, juxta quod estimari poterat, liquidi cruoris invenit, quantum præcedenti die a fundo abstersit. Obstupescens autem et admirans rei novitatem, cuidam familiari suo quid sibi accidisset secreto insinuavit, tanto de duplicato sibi cruore lætior, quanto certior de diligenter absterso. Quod quum ad meam pervenisset notitiam, mulierem super hoc conveni, et ut tam sanguis quam pannus sanguine infectus mihi ostenderetur impetravi. Certitudinis habendæ causa adjurare cœpi illam per nomen Domini, utrum certa fuerit quod absterso cruore nil prorsus in vasculo remanserit: at illa certissimam se esse tantis assertionibus comprobavit, ut fidem verbis § ejus nolle adhibere incredulitatis videretur indicium: quod tamen ne scrupulosis quibusdam veniret in dubium, placuit pietati Divinæ ut qui forte signum primum non magni ponderavit mirarentur vel secundum.

---

§ verbis —— assertionibus A.

XIX.

Exulante domino Cantuariensi, Dominus, qui sedet conflans et purgans filios Levi, qui tanquam aurum in fornace probat electos, qui despicit in opportunitatibus in tribulatione posuit honores super capita nostra, qui martyris exulantis nomen subsannarent, actus abominarentur, detestarentur personam, qui exardescentes sicut ignis in spinis martyris perscrutabantur amicos, et omnes ei faventes crudelissime persequebantur, et obmutuerunt nonnulli et siluerunt a bonis, ita ut nec mutire quidem contra illos auderent: sed etsi loquerentur et universitati nostræ nocerent, et domini Cantuariensis negotium in nullo promoverent. Expulsus est ea tempestate ad ecclesiam Colecestrensem, eorum prævalente malitia, Cantuariensis ecclesiæ monachus Radulfus, qui quasi speciali quadam dilectione pro domino suo Cantuariensi æmulis suis resistendo zelasset, quanquam nec sibi nec nobis nec patri nostro zelus illius proficeret. Hic ergo, repropitiato nobis Domino, cum honore revocatus, quum videret martyrem fuso pro Ecclesiæ liberatione sanguine consummatum, sanguinem liberationis Ecclesiasticæ licet permodicum acquisivit, et ecclesiæ Colecestrensi prænominatæ impensi sibi honoris debito et nimio dilectionis intuitu, destinavit. Erat autem infusi in ampullam vitream cruoris tantilla quantitas, ut circulum in fundo vix efficeret. Obturatum igitur cautius vas fragile, et, ne forte cofringeretur, cera spissiori oblitum et inclusum, a boni testimonii viro, Magistro Raimundo ecclesiæ prætaxatæ abbati præsentatum est. Ampulla sicut erat signata, diligenter servatur custodia, donec expeditus abbas exponendo videndoque sanctuario posset intendere. Profertur vas in crastino die; aufertur cera; multiplicato cruore ampulla plenissima reperitur;

ceram etiam, qua vas fuerat obturatum, superfluente sanguine infectam, sunt contemplati, nec tamen admirati: estimantes etenim quod Radulfus præfatus totum infuderit et, miraculi facti penitus ignari, ejus benevolentiæ et largitati Divinæ majestatis opus adscripserunt. At ille, processu temporis audiens ab ejusdem ecclesiæ sacrista, quod ampullam cruoris plenam susceperunt, rumores delectabiles nec ut falsos respuere, nec ut veros credere audebat, quoadusque offerente se tempore congruo, Colecestriam probandæ certitudinis causa perrexit. Convenientibus ergo illis in unum, et illo demonstrante quantum misisset, illis quantum susceperint ostendentibus, quasi oculata fide pars utraque certificata est et admirata. Retulerunt etiam quod, lota cera qua fuerat vas obturatum, aquam cuidam ecclesiæ vicinæ contulissent, presbyterum pyxidem cum aqua super altare posuisse, sed resumpta de altari in domum suam intulisse; surrexisse autem illum in crastino, et fissa pyxide ne unam quidem guttam invenisse: ita dispositione Divina et quibus voluit datus est sanguis et abundavit: et cui non concessit etiam quod videbatur habere, ablatum est ab eo.

XX.

Miraculum quoque de sanguinis augmentatione, duobus præcedentibus non minus gloriosum, retulit nobis presbyter Willelmus de Brunis, vir et morum honestate et conversationis religione commendabilis, et Cantuariensibus tum propter loci vicinitatem, tum propter sui bonitatem notissimus. Idem enim quum audiisset Christi athletam se ipsum Deo sacrificio obtulisse, cogitare cœpit quam patienter exilium usque in annum septimum porrectum, et injurias proprias sustinuerit, quam æquanimiter parentum et amicorum suorum, parvulorum etiam ad ubera pendentium deplorationem

portaverit, et quam constanter tandem ferienti satelliti pro Christo caput obtulerit.* Singulas etiam in passione circumstantias conferens, luce clarius prospexit omnia ad martyris gloriam concurrere et titulum gloriosi ejus martyrii commendare; et de præterito trahens argumenta futuri, posuit in corde suo nihil esse impossibilius quam quod non citius manifestis glorificaretur miraculis. Unde et reliquias ejusdem martyris in brevi pretiosas futuras esse conjiciens, iis acquirendis totus incubuit, ne, si miraculorum tempus expectaret, acquirendi copiam ipsa miraculorum copia sibi denegaret. Desiderium cordis ejus tribuit ei Dominus nec est fraudatus a desiderio suo. Pallium namque sancti martyris, in quo martyrizatus est, pro anima ejus datum, ita ut fuerat cruentatum venale inveniens comparavit, et de cruore liquido ampullam plenam acquisivit. Alius autem presbyter, ejusdem presbyteri familiaris, quum hoc audiisset, ut sibi sanguinem impertiri dignaretur impetravit. Ille igitur postulanti partem daturus videndæ quantitatis intentione in vas mundum liquidum cruorem transfudit; quod in ampullæ fundo pulveri admixtum invenit, in sacrarium altaris projecit; quumque plurima cruoris parte postulanti separata, in ampullam residuum refudisset, augente Illo sanguinem qui viduæ sub propheta multiplicavit oleum, ampullam, ut prius extiterat, invenit impletam.

XXI.

Idem vir venerabilis sermocinatori cuidam ex his qui cir-

* Becket's exile lasted from 1064 to 1170. He passed part of that time at Pontigny, and the rest at Soissons. The king of England, enraged at the pertinacious opposition which the archbishop made to his wishes, and in order to grieve Becket, drove into exile all his immediate friends and relations, several hundreds in number.

cuire terram et perambulare solent, modicum cruoris ejusdem in pyxide buxea donavit. Finditur pyxis statim ad contactum sanctuarii, sed ne effunderetur in terram, cera subventum est. Regressus itaque prædicator ad hospitium suum, pyxidem reposuit: sed mane facto, quum eam aperuisset, nec sanguinem nec vestigium sanguinis in ea repperit, quum neque cera illum effundi permiserit, nec buxi duritia vel soliditas ebibi. Quid vero causæ fuerit quod prædicatori beneficii tanta gratia esset subtracta, quampluribus venit in dubium: nonnullis tamen ejus intentionem cupiditati obnoxiam satis probabiliter verique similiter conjicientibus.

XXII.

Invenit idem vir Domini viri honorati Radulfi de Byrnis filiam ægrotantem, et prævalente ægritudine, usu singulorum sensuum destitutam. Quasi insensibilis jacens, desperantibus de ea parentibus non nisi luctus materiam ministrabat: at ille martyris nostri pallium attulit, pallio puellam involvit. Excubantibus circa eam qui ei ad custodiam fuerant deputati, et Dei misericordiam præstolantibus, cœpit paulatim recuperatione sensuum pallii sentire virtutem. Quid verbis opus est? venit in crastino presbyter, ut visitaret infirmam, et in sanitate firmatam coævisque suis colludentem invenit.

XXIII.

Etheldritham quandam, Cantuariæ degentem sed aliunde genitam, paulo minus anno quartanæ coarctaverant: morti eam esse vicinam cœrulei coloris et ceræ simillima facies indicabat. Veniens ergo ad monachum mausolei custodem martyris cruorem se potari poposcit. Miscuit ei monachus, ut cæ-

teris solebat, ne sapor aut color sanguineus bibenti horrorem incuteret. Exhausto itaque quod erat in calice, redit mulieri color nativus, vigor pristinus reparatur: illam autem postea omnino non tetigit febris neque contristavit, nec quicquam molestiæ intulit.

XXIV.

In Cœna necnon Dominica § civis Cantuariensis filium Willelmum idem experimentum ab ipsis mortis faucibus extraxit. Cujus medicaminis efficaciam licet jam multi experti fuissent, neque tamen absque timore dabatur petentibus; nec mirum—inusitatum extiterat homines humano cruore potari. Ut autem et infirmi sanguinem ecclesiæ Cantuariensis meracissimum fiducialiter biberent, et nobis eundem per aquæ commixtionem tribuendi major ausus conferretur, insinuatio præcessit hujusmodi. Eidem adolescenti, de quo agimus, infirmitate gravi correpto, et quasi diebus quindecim gravissime vexato, ostendit se in somnis pretiosus martyr Christi et martyrum gloria, quasi altari Christi in choro Cantuariensis ecclesiæ adsistentem et multis reverendæ gloriæ personis sibi ministrantibus missarum solemnia celebrantem; qui, conjectis in ægrotum oculis, monachum inter cæteros adstantem, et vas cruore suo refertum tenentem, visus est accivisse et verba protulisse hujusmodi, "Puerum illum gravis premit infirmitas: porrige illi hujus sanguinis mei poculum, ut bibens convalescat." Bibere se puer estimabat, et in sacro sanguinis potu delectari sicut in omnibus divitiis; factus est enim sicut mel dulcis in ore suo. Excitat citius infirmitas dormientem, et a dulce-

§ The CŒNA DOMINICA is the Thursday before Good Friday; called also Maundy Thursday, and also Shere Thursday. In 1171 Maundy Thursday was the 25th of March.

dine sua revocat in dolorem. Excitatus visionis gaudium auribus paternis intimavit, spem sibi recuperandæ sanitatis fore asseverans, si vel guttam pretiosi sanguinis in potu suscipere meruisset. Satagens pater ut filii votis satisfaceret, tam diem illam quam sequentem, casso labore consumpsit: denique die tertia, quam cœnæ Dominicæ pia solemnitas annuatim celebrem reddit, in tantum tumorem adolescens circa vitalia ventremque excreverat, ut loquela penitus amissa majoris videretur admirationis medium illum non crepuisse quam adeo vehementer intumuisse. Discurrit huc illucque pater anxius, tandemque, Divina miserante clementia, salutiferum liquorem, quem quærebat, consequutus est; festinanterque domum reversus, poculum porrexit ægrotanti. Statim mitigatus est dolor, tumor sedatus, tantumque vigoris cum salute puero restitutum est, ut quinto die martyri se cum gratiarum actione præsentaret.

XXV.

Præsentavit se illi et Matthæi cujusdam Cantuariensis uxor Goditha, sed alienis innitens pedibus, non propriis: mulieres duæ tertiam supportabant. Tumor horribilis a genibus et infra videbatur: opponitur sanguinis et aquæ medicina et usque ad pristinam gracilitatem tumida membra restringuntur. Occulte mulier allata, latenter nihilominus abscessit. Singulis deinceps meliorata diebus, vigore perfecto in brevi redonatur. Hæc et plura satisfuere magnalia quæ circa dies Paschales operatus est Dominus, et athletæ suo præstitit glorificationis initium: sed parva sunt hæc et comparatione sequentium vicina despectui.

XXVI.

Aderat dies Resurrectionis Dominicæ *, dies quam fecit

* Easter Sunday, in 1171, was the 28th of March.

Dominus, dies in qua tota lætatur et exultat Ecclesia, sola Cantuariensis ejulabat et plorabat in ea. Audiebat filias suas gaudii dulcedine plenas et ipsa repleta amaritudine; sed, ne abundantiori tristitia absorberemur, Qui ora nostra conclusit, nobis coram in ecclesia os muti aperuit, qui quum in ecclesiam esset ingressus, statim spiritus conturbavit eum, et concidit elisus in terram, et volutabatur spumans, casuque frequenti læsus, multumque discerptus: tandem resedit et voce articulata quidem, sed vix intelligibili potum sibi porrigi postulavit. Aberat tunc populus, eo quod a divinis cessaret Ecclesia: multitudinem non facile numerares quam in momento rumor novitatis attraxit. Quærunt singuli quis sit et unde progenitus, quid ei contigerit? Votis satisfacere singulorum absque labore non poterat; nam, quia balbutientem minime intelligebant, cogebatur sæpius iterare quod dixerat. De territorio Oxenefordiæ testatur oriundum, ante quinquennium in prato obdormientem perdidisse loquelam: obdormiisse sanum, mutum evigilasse, accepisse se nuper in visu a duobus reverendi aspectus viris ut Cantuariam ad novum Christi martyrem properaret: loquelam se recuperaturum, si postularet in fide, nihil hæsitans; non esse in mundi ambitu locum alium in quo salutem citius assequi valeret. Nomen ejus scire volentibus Sansonem se nominabat: audientium nonnulli dictis fidem adhibuerunt, quidam autem dubitaverunt; et quamvis nullos assertionis suæ testes haberent, erat tamen unde magnum veritatis traheremus argumentum. Nam multis apud nos commoratus diebus in verbis firmandis et perfecte exprimendis quotidie paulatim proficiebat, usque ad perfectum tamen omnino pervenire non potuit. Ad urbem etiam Roffensem misimus, ubi aliquandiu steterat, nec aliquid, quod ejus infirmaret asserta invenimus: ipse postea hospiti ejus, apud quem

non paucis diebus commoratus fuerat, loquutus sum. Aiebat se puerum sæpius inebriasse, nunquam tamen ab inebriato vel unum verbum extorquere potuisse, quum sit verum vetusque proverbium, quod per pueros et ebrios soleat veritas extorqueri. Exclamavimus igitur et nos simul cum aliis ecclesiis, licet modo causaque dissimili, " Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea!"

XXVII.

Eodem etiam Dominicæ Resurrectionis die, servienti cuidam Cantuariensis Ecclesiæ filium suum morientem martyr revocavit ad vitam. Godefridi namque pistoris filius Geldewinus quatuor et eo amplius mensibus languore gravi fuerat attenuatus. In extremis ex hoc agere credebatur, quod tribus diebus totidemque noctibus absque cibo et potu, sine voce et sensu, velut insensibilis jacuisset. Reversus pater ejus ab ecclesia post perceptam Eucharistiam, panniculum sanguine martyris infectum acquisierat. Consedit ante puerulum; panniculum in aqua lotum expressit, aquam ipsam infirmo porrecturus, immo revera in os morientis injecturus, mirabile dictu, patre suo propter se considente, quasi, immo re vera sanctuarii præsentis virtute revocatus, ex insperato alterum oculorum aperuit, patrique suo, non parum admiranti, loquutus est " Numquid hoc, pater, bibiturus sum?" porrectumque sibi potum ebibens, mox apposito cibo gustavit, et quinto vel sexto die, reparato vigore, coævis ludentibus colludere visus est.

XXVIII.

Erant præter hunc viro eidem filii duo, quorum alter tantundem temporis, alter intervallo breviori, vi febrium fuerat debilitatus. Videns autem quia sanctuarii virtus primo perfecte cessisset ad profectum, divisum panniculum utriusque

collo appendit. Sed eis statim a peste febrium liberatis, quum, quatuor vel quinque hebdomadis evolutis, nulla prorsus esset patri eorum redituri morbi suspicio, solvit ab alterius collo suspensum sanctuarium. Vix illud abstraxerat et converterat se ut abiret, quum puer, febribus redivivis correptus, totus tremuit. Admirans pater miram rei novitatem, sublatam medicinam febricitantis collo rursus alligavit, statimque non sine intuentium admiratione dimissus est, cessavitque tremere. Ita crebrescentibus paulatim miraculis, et martyris fama crescente, ad martyris auxilium cæteri Cantuarienses infirmi paulatim confugiunt; in quibus loripes quidam Manwinus, pauper quidem, sed tamen in urbe notissimus, biennio fere lumen oculorum amiserat. Filius ejus aliquando, nonnunquam uxor, cæco mendicanti ducatum præbebat. Satagens ut oculis alienis non egeret, stillam sacri cruoris a quodam deprecans obtinuit, domumque reductus vix oculos suos linierat, quum ecce repente filius suus adhuc infantulus, cui nec officium pedum Natura plene contulerat, in terram corruens, in lacrimas et vagitus erupit: at ille pueruli, quum non esset qui eum erigeret, sollicitus suique oblitus, sanguinem abstersit ab oculis: surgensque ut eum de terra elevaret, videre illum ante promeruit quam erigere; quem civitas Cantuariensis, sicut cæcum extitisse cognovit, ita postmodum visum recepisse probavit.

XXIX.

Erecta est et clauda quædam Cantuariensis Emelina eadem solemnitate Paschali. Ante quadriennium casu corruerat, læsoque genu, et nervis medicinæ penuria forte contractis, non absque pudore clauda remanserat; pedis officium baculo redimebat: absque baculi adminiculo ne unius quidem

passus habebat facultatem. Excitata miraculorum fama Christi adiit ecclesiam, martyris [auxilium]supplicatura: mox conturbata corruit, ubi mutus supradictus ceciderat: in cruciatu et volutatione continua diem duxit ad vesperam. Luci diurnæ tenebris succedentibus nocturnis, lassa quidem, sed sanata recessit: verumtamen ut fatigatam se baculo supportaret præcepimus,‡ sed contempsit, alteram enim se sentiens exire quam venerat, nolebat resumere quod ei sanctus abstulerat.

XXX.

Adhuc ostia cryptarum seris atque repagulis clausa tenebantur, nec ad tumbam martyris passim admittebatur populus; si quis introducebatur, fiebat occulte: unde et pars populi non minima turbata est: plures e conventu nostro a multis conventi sunt peccati nos arguentibus quod ad patrem suum populus non haberet accessum; opinionem nostram minui aiebant, qui talentum nobis creditum videremur abscondere, reseranda esse cryptarum ostia, ne martyri gloriam, infirmis sanitatem invidere diceremur. Quorum fidem ut vidimus, licet Ecclesia a divinis temperaret, adjudicavimus fieri petitionem eorum. Quarto Nonas Aprilis,* feria sexta Paschalis hebdomadæ, aperta sunt cryptarum ostia, et ad sancti sarcophagum ægrotantes admissi. Erat ergo quotidie gloriosum contueri spectaculum: videres ibi manifeste fontem David patentem in ablutionem peccatoris, et menstruate moveri piscinam ab angelo, nec unum tantum sanari sed plurimos. Videres axe conferri quotidie irriguum tam superius quam inferius, his infirmitates corporum, illis animarum suarum vulnera deflentibus; videres oleum non deficiens in lechyto, misericordiam copiosam in sancto:

‡ See the Preface.

* The 4th day before the Nones of April is April 2.

videres vasa sub propheta inferri, oleumque infusum multiplicari. Afferebantur enim et inferebantur infirmi; misericordia martyris pleni redibant. Tunc primo maxime revixit spiritus noster, et quasi de gravi somno evigilantes facti sumus sicut consolati: gaudio tamen dolor prævalebat, eo quod [non] licuit nobis, ut libuit, benedicere Dominum in operibus suis, et confiteri illi in voce labiorum nostrorum. Reddidimus tamen pensum servitutis nostræ, quantum potuimus, cantantes et psallentes in cordibus nostris Domino qui facit mirabilia solus. Magna enim et mirabilia erant valde quæ circa martyris sui sepulcrum singulis operabatur diebus.

XXXI.

Projecta est ibi mulier Cantuariensis, Elditha * trium mulierum ministerio allata: annus secundus jam circa medium volvebatur, ex quo pedem solo non fixerat. Toto illo tempore, lecto detenta, in quadam mortis vivebat † vicinia. In genu sinistro vis morbi maxime prævalebat, qui pedem contractione nervorum privavit incessu. Stupebat genu ad tactum, si illud manu propria vel leviter mulier ipsa contingeret. Allata est ad martyrem, ut prædiximus, a mulieribus tribus in baculo innixa: dolore sedato remeavit. Genu, quod ab anno secundo nec tangere potuerat pro dolore, in testimonium sanitatis adeptæ, elevato pugno nobis coram vi magna cædebat, et vidit eam populus ambulantem et laudantem Dominum: et repleti sunt stupore et extasi in eo quod contigerat illi: cur tamen clauda remanserit, nec omnimodam consequuta sit sanitatem, discutere supersedemus, tutius esse censentes de occultis Dei judiciis penitus tacere quam aliquid inde temere diffinire.

---

* ELDITHA — Ædilda A. † VIVEBAT — jacebat A.

XXXII.

Scimus autem quia qui genu debile roboravit, potuit et bases ejus et plantas ad plenum consolidare, ut gressus rectos faceret, sicut et Wlvivæ cuidam Cantuariensi donatum esse non dubitamus. Hanc alligaverat Satanas jam annis tribus, et erat inclinata, nec absque baculo quoquam valebat incedere. Modicum se ad orationem coram sancto prostraverat, quum, renum fugato dolore, absque baculo surrexit erecta, nec ulterius portare volebat, a quo portari solebat.

XXXIII.

Portaverat se et illuc, unius tantum oculi ductus regimine, Edmundus juvenis et natus et satis notus Cantuariæ: oculum sinistrum specie tenus habebat sed vis videndi non inerat. Excreverat etiam in interioribus pectoris ejus quasi coagulatum aliquid et ponderosum valde, quod nunc ad superiora impulsum, nunc ad inferiora devolutum, miris illum punctionibus miroque supplicio quasi biennio fatigaverat, et ad mortem, sicut et ex solo vultu marcido et decolorato perpendi poterat, impellebat. Instillatur ejus oculo sacratissimi stilla cruoris: sanguinis et aquæ commistionem potavit. Mira potionis efficacia, longius a sepulcro remotus, in faciem se præcipitavit. Vertebat se in latera; volutabatur clamans; resurgebat sæpius; sed gradu instabili stare non poterat: corruebat in faciem; allidebatur ad petram; malo suo venisse videbatur; insanire putares: quem virtus divina sanabat. Solutus est tandem in somnum; supinus obdormivit: adstitit dormienti sanctus Dei, et apprehenso ejus humero, excussum excitavit, et ait, "Surge, procede." At ille statim evigilans, volubile illud, unde interius torquebatur, usque ad partem gutturis inferiorem sensit impelli. Pene

præfocatus, manu ad guttur conjecta, tactu voluit probare quid esset. Tunc subito, quasi rupto interius folliculo, virtute quadam divina per os ejus expulsum est: amaritudinem videbatur habere felleam, et continuo surrexit, pallioque projecto usque ad martyris tumbam gratias acturus processit, perfectaque tam oculi quam totius corporis sanitate recepta, crucem e vestigio Jerosolymam iturus pro martyris amore suscepit; et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

XXXIV.

Nec minoris fuit laudis vel gloriæ, quod in muliere Muriele nomine factum esse cognovimus. Languore gravi, biennio et eo amplius, attenuata, unico mortis remedio dolori suo terminum imponendum esse putabat. Videns autem vir ejus quæ per gloriosum Dei martyrem gloriose fiebant, aquæ illius salutiferæ potum languenti præbuit. Bibit cœpitque paulatim usque in diem tertium solito amplius cum defectu vexari. Die tertio eo usque morbus invaluit, ut de lecto deponeretur, ne contra Christianæ religionis morem moreretur in plumis. Accitur summa cum festinatione presbyter, ut ei extremæ unctionis impenderet obsequium. At illa ex insperato nauseam passa morbi materiam ejecit, et toto illo die per horarum intervalla vomere non cessavit. Compertum est igitur eam lapillulos multos valde cerasorum prunorum et esculorum integros ejecisse: nonnullos etiam in refrigerato mulieris stomacho germinasse: quorum nonnulli et nobis ostensi sunt satis superque admirantibus vel quod mulier tanto temporis intervallo fructuum prædictorum lapillos in stomacho gestaverit, vel quod lapilli in stomacho germen proferre potuerunt. Nec dubium, quin mortem languentis maturassent, nisi sancti liquoris potio succurrisset. Alleviata est

itaque mulier, et quasi ab ipsis mortis faucibus erepta, et quæ, ut diximus, plusquam biennio fatigata pedem extra domus suæ limen non posuerat, vigore sibi divinitus collato, proxima die ad martyrem pedes perrexit, et omnis populus gaudebat in universis, quæ gloriose fiebant ab eo.

XXXV.

Adjecit ad hæc Dominus miraculum, sed de infirmitate minori; — quid dico minori? nemini parva videtur ægritudo quam tolerat. Matronam quandam Ethelburgam novimus plenam operibus bonis et eleemosynis, quam in humero brachioque sinistro gutta gravis diebus multis afflixerat: brachii usu destituta cereum juxta longitudinem ejus in honorem martyris facere disponebat. Videres ibi martyrem per effectum gratiæ mulieri respondere, quod ad se conversis Dominus pollicetur, "Antequam me invocetis dicam vobis Ecce adsum." Vix enim brachium filo commensa fuerat, quum omnem illum dolorem mitigari et sensit et confessa est: cereum itaque factum martyri obtulit; plenam retulit sanitatem.

XXXVI.

Sanitatis nihilominus invenit gratiam faber de Tanatos * insula Robertus, sed sanitatem præcessit visio non minus salutis dono admiranda. Annis non minus duobus lumen oculorum amiserat, et rei familiaris inopia luminis amissi magis reddebat sollicitum. Jam vero, venerando patre nostro ab exilio revocato, et appropinquante tempore quo a mundi hujus exilio vocaretur ad cœlum, responsum accep-

* Tanatos or Thanatos. The isle of Thanet, called by the Ancient Britons Ruichim. Some curious etymologists have endeavoured to derive this word from the Greek θάνατος, but with little probability.

erat hujusmodi vir prædictus in somnis "Vade, Roberte, Cantuariam ad ecclesiam Christi, imponetque monachus lac oculis tuis visumque recipies." At ille primo delusum se estimans, nec promissis credidit nec paruit præceptis; audito vero postea sanctum Dei tot coruscare miraculis, recordatur quid audierit, et innocentem agni dulcissimi sanguinem lactis dulcedini comparans, spe salutis concepta, quo pergere jussus fuerat, suorum ducatu pervenit; — nam et uxorem ejus et filiam cum ipso venisse vidimus. Inunctis § igitur oculis suis optato martyris cruore, in orationem se prostravit. Prostratus quasi tonitrui magni sonitu caput sibi turbari sensit, visuque recepto, surgens Dei gratiam publice prædicavit.

XXXVII.

Sed quid est facilius, dare salutem mentis an corporis? Qui oculos hujus corporis illuminavit, juvenem de Fordwico Henricum menti restituit. Insaniverat diebus aliquot et amicis suis inopinatum doloris vulnus inflixerat. Colligatis a tergo manibus, ad sanctum trahitur: sancto, renitens licet atque reclamans, præsentatur, ubi tota die insaniens, recedente luce solis, lucem rationis paulatim recuperare cœpit: pernoctavit in ecclesia; sanissimus in crastino remeavit.

XXXVIII.

De ejusdem villæ vicinia mulierem suscepimus, quam non solum impossibilitas audiendi, sed et capitis dolor intolerabiliter anxiabat. Instillatur auribus ejus obturatis communis illa languentium medicina, aqua mixta cum sanguine: bibit insuper et in orationem se dedit. Inter

§ INUNCTIS — Lotis A.

orandum solito acrius cruciata quasi virgulas multas in capite sibi minutatim confringi putabat. Sciscitabatur adstantes 'audirentne quod in capite suo resonabat.' Dum ergo ita tribularetur, clamavit ad Dominum, et exaudivit eam. Inter clamandum enim quasi rupto interius apostemate, sanies ab auribus illius effluxit plurima; saniem sequutus est sanguis; sanguinem auditus amissi gratia.

XXXIX.

Olfaciendi delicias quoque nonnullis amiserat annis vir de Tenham Elwardus, et omnino nihil odorare valebat. Ingressus est ad locum ubi requievit ille Christi bonus odor in omni loco illa suavitatis hostia, illa arbor aromatica, cujus jam mundus universus sensit fragrantiam; sed antequam ad odoriferum illum Angliæ florem pervenisset, occurrente sibi odore suavissimo naresque suas complente adoratum se recuperasse gavisus est.

XL.

Nec illud silendum esse putamus, quod, multis optatam sanitatem impetrantibus, uni manifeste negata est. Puero namque contracto gradiendi gratiam a martyre mendicanti et, capite super sarcophagum reclinato, casu obdormienti institit sanctus pater, ita inquiens, "Quid jaces super me? sanitatem non habebis; descende; nihil tibi facturus sum." In his verbis expergefactus est, et tam nobis quam matri suæ non absque multa cordis contritione quod audierat enarravit, certusque de immutabilitate sententiæ in locum alium transponi se fecit: hortantibus tamen nobis ut precibus nihilominus incumberet, acquievit, sed tempus absque sanitatis emolumento consumpsit.

XLI.

Quid vero causæ fuerit quod exauditis cæteris hujus curationem repulerit, ipse novit qui et alii cuidam cæco, similiter super tumbam quiescenti, similem mandavit sententiam, causamque sententiæ non abscondit. Apparuit enim dormienti quidam et ait, "Quid hic jaces? mandat tibi archiepiscopus quia sanitatem minime consequeris; salutem tibi peccatum adimit, antequam nascereris admissum." Nec ideo credimus portasse filium iniquitatem § parentum, sed potius voluisse Dominum flagellare parentes in filio, ut corporale filii detrimentum * parentibus fieret mœroris supplicium. Post paucos itaque dies ab hac luce puer ille migravit. Fateor utrique puero plurimum condoluimus: utriusque nos contristavit sanitas repulsa, sed lætificavit nos martyr in aliis.

XLII

De quibus primo dicendum occurrit quid Agneti cuidam Cantuariensi aqua sancti Thomæ contulerit—sic enim eam circumfusæ regionis populus appellat, "aquam videlicet sancti Thomæ," vel "aquam Cantuariensem." Ejusdem itaque mulieris faciem dolor incastigabilis occupaverat: dehonestaverat tumor horribilis: os ejus in alteram partem contortum naturæ degenerantis formam præferebat. Copia phlegmatis ab ore ipsius tam incessanter quam copiose fluentis non minimum ei sine ullo tumoris vel doloris remedio pudorem attulit. Computruit tandem facies interius, et facta est mulier debilis* cui lacte opus esset non solido cibo. Neque enim cibum sumere poterat, sed sorbitiunculis sibi

§ INIQUITATEM—peccatum vel iniquitatem A.

* DETRIMENTUM—tormentum A. † DEBILIS—om. A.

factis reficiebatur, a quibus postremo continuis tribus diebus abstinuit, nimio coarctata dolore. Fœtorem non ferres, quem facies putris emittebat. Hebdomada quinta in dolore transacta, et sitit et suscipit mulier aquam sancti. O aquam mirabilem quæ non solum bibentis sitim, sed et dolorem extinxit. O aquam mirabilem quæ non solum extinxit dolorem, sed et tumorem restrinxit. Mirum dicturus sum : phlegmatis causa suscipiendi mulieris ori pelvis supponi solebat : ore mulier aperto prona jacens decurrenti ab ore phlegmati satisfacere cogebatur. Quum ergo post haustum aquæ rursus inclinata jaceret, excidit ab ore ipsius vermis capite grandiusculo, et ad instar ardentis prunæ rubeo, cauda in modum subulæ acutissima semis et unius pollicis longitudine, reptans pedibus quatuor, cursuque suo tantæ vivacitatis se esse ostendit, ut a nonnullis de adversa parte fuisse diceretur : in phlegmate tamen, ut putabatur, submersus et in editiori fenestra positus non comparuit. Cessavit itaque patientis dolor et in brevi usque ad pristinum statum facies inflammata † decrevit.

XLIII.

Contigit etiam inter alia miracula jucundum quoddam miraculum satisque memoria dignum. Aquæ Cantuariensis virtus longe lateque innotuit, et ad aquam jam tota confluebat provincia. Inter alios qui convenerant, Radulfus quidam de Scapeia ‡ pyxidem ligneam ad aquam suscipiendam protulit, sed infusam non retulit. Dum enim meditatur abscessum, et, nihil adversi reformidans, huc illuc vertitur, finditur pyxis in latere. Miratus homo expavit, et effluente quod in pyxide ferebat, fissuram cera studuit oblinire : sed, dum pyxidem in latus vertit oppositum, etiam

* EXTINXIT—mitigat A. † INFLAMMATA—inflata A.

‡ The island of Sheppey.

in illo integra remanere non potuit. Ne totum effluereret quod remansit, ceram rursus opposuit. Videres ergo rem admirabilem, aquam et fundo ascendentem super et per oram pyxidis undique violenter ebullire. Ollam succensam putares, aquam contra vires elementi contrarii retinere non valentem. At vir prædictus, physicum aliquid hoc esse suspicatus, quod videlicet vi et impulsu aeris inclusi posset hoc contigisse, sustulit operculum, sublatumque reposuit. Reposito operculo ita vas idem ab imo usque ad summum divisum est, ut pene grossitudini digiti humani rimæ latitudo respondere videretur. Quæ res tribus de causis nobis extitit admirabilis, quia videlicet plurimæ fuit spissitudinis: quia de vetusta et dura fortique materia, et quia quum ligna scissa soleat naturaliter aqua rejungere, hic e contrario divisit integrum. Expavit homo stupore vehementi, et ultra quam credi potest admirans, modicum aquæ quod remanserat in aliam pyxidem statim cum festinatione transfudit, sed et illa, quod dictu quoque mirabile est, sanctuarii non ferens virtutem, quasi aquæ excurrere volenti viam factura in medio sese per transversum lateris aperuit. Mirabilis conflictus elementi et hominis: nam et huic rimæ cum remedio ceræ occurrens, dum aquam in aliud pyxidis latus inclinat, malum incidit quod refugit. Scissa est enim a summo usque deorsum, et exitum habens prior per omnia similem, omnibus qui aderant admirationem, ipsi vero etiam timorem atque pudorem augmentavit. Instantibus nobis et eventus hujus causam diligenter investigantibus, nihil certum apparuit; suspicantibus tandem indignum esse vel qui aquam ferebat, vel cui ferri debebat: ne vero sicut pudore plenus, ita et a desiderio suo vacuus abiret, duabus apud nos retentis, tertiam ei pyxidem commodavimus, probaturi quid etiam de illa con-

tingeret. Susceptam aquam lætus asportavit sed inter eundum ebullientem amisit. Operculum auferre conatus, ut aquam bullientem videret, nec amovere illud potuit, nec movere. Arguitur ab aliquo comitantium nullius esse meriti qui sanctuarium nec portare dignus esset nec cernere. Quam verum esset quod dixerat, rei exitus aperte declaravit: nam operculum, quod aquam præsentem in nullam partem valebat divellere, tandem leviter et absque omni difficultate removit, sed vas penitus evacuatum invenit. Si obstupuit, si doluit, si sibi timuit, ipse novit,§ qui ut sibi timeret sibi ipsi ostensus est. Significavit nobis postea tanto se mærore tantoque metu fuisse correptum, ut quicquid se deliquisse meminit, non uni tantum presbytero confiteretur, sed tredecim. Vas quoque vacuum post cordis contritionem aqua fontis implevit, quæ et ægrotos cum fide bibentes salvos fecit. Nonne lusisse videtur hic martyr cum homine, ut se ipsum tandem agnoscens illudentem sibi luderet hostem? Ludus martyris dicendus est an reprehensio? Si ludum velimus dicere, ludus est honestus; si reprehensionem, pietate est laudabilis. Noluit hominem ad sanctuarium indigne accedentem in furore arguere; noluit in ira corripere: infirmum patienter sustinuit; misericorditer reprehendit: mira dulcedinis gratia conversum sanavit.

XLIV.

Pietate consimili et Godelinam quandam Cantuariensem novimus fuisse correptam, quæ aqua in vase ligneo suscepta, quum in reditu per Judæi cujusdam transiret hospitium, rogatu Judaicæ mulieris ingressa est. In carminibus enim et incantationibus quibusdam exercitata debilem ejusdem

§ This alludes to the Christian doctrine concerning the efficacy of Faith.

Judaicæ pedem carminare consueverat. Vix in domum nefandam pedes intulerat, quum, scissa tribus in locis pyxide, aquæ damno damna mentis suæ interiora cognovit, et correptam se erroris intelligens, ad eandem Judæam ulterius non accessit. De pyxidis vero fissura eo amplius miremur necesse esse quod pedi pyxidis grandi et solido, et quasi colli cujusdam gracilis interpositione a concavitate separato, sicut pyxidis concavitas, ita et pedis concavitas fissuram sustinuit.

XLV.

Voluit et alia mulier aquam sibi sublatam sed modo dissimili. Superioris enim portio confracto vase visibiliter effusa est: hujus autem invisibiliter subtractæ ad hospitium suum portans aquam redierat quod a sancti sepulchro quasi stadiis duobus aut tribus distabat. Pyxidem quum sedisset aperuit, et non solum vacuam sed et siccam invenit.§

XLVI.

Eodem modo fraudati sunt a desiderio suo viri duo de Essexia, Petrus et Haimo. Vasa, quæ a Cantuaria retulerant plena, amne Tamisio transmissa, vacua repererunt. "Vere" inquit alter ad alterum, "aqua mea tota evanuit;" et alter sibi similiter timens evenisse, arrepto et aperto vase suo "Certe," inquit, "sed nec mihi gutta remansit." Quorum Haimo vectori, qui eos sive euntes sive redeuntes transportaverat, accito, "Respice" ait "utrum vel tua tibi sit relicta, et nobis tantæ benedictionis munus impertire." Et ille, "Non eam videbit oculus meus, nisi domum meam prius

§ The Bodleian MS ends here. See the Preface.

fuero ingressus. Tugurium ejus erat ripæ contiguum; quo veniens et pyxidem suam plenam inveniens, aquam in Haimonis præfati pyxidem dimidiatam puero tradidit deferendam. Mira divinæ voluntatis potentia, stabat adhuc puer in domo, et loquebatur cum homine, et pyxidem inter loquendum casu aperiens humoris expertem conspexit. Obstupuit uterque* puer, absque aqua recessit. Hæc ipsius portatoris ore nobis relata sunt.

Sunt et alia quædam ejusdem jucunditatis miracula, sed placet in textu narrationis præponere, quæ tempore præcesserunt.

XLVII.

Ætatis provectæ miles Willelmus de Dene in confinio Cantuariæ, paralysi percussus, duplici laborabat incommodo, paralysis et sanectutis. Non tam totum corpus, sed pedes ejus et crura morbus idem† dissolverat. Duorum hominum vel trium ministerio ferebatur, quocumque illum corporalis vocabat necessitas. Anno dimidio marcescens et arescens confidebat in medicis, in filiis hominum, in quibus non est salus: advertens vero tandem quia vana salus hominum, et quam ei adhærere Deo bonum est et ponere in Domino Deo spem suam, jumento se poposcit imponi, et Cantuariam adduci, et quia nec equo nec sibi ipsi regendo vires propriæ sufficiebant, alienis tenebatur manibus ne caderet. Depositum de equo juvenes duo suscipiunt, baculoque simul et illis innitentem ad sancti martyris tumbam comportatur. Ubi Deum Deique martyrem devotius invocans, sensit crura pedesque ab insensibilitate revocari, calefieri

* UTERQUE. This is the reading both of the Paris and the Lambeth MSS. Perhaps it should be 'uterque, et puer &c.' † IDEM — om. C.

nervos, totumque corpus in quendam agilitatis gratiam revocari. Estimans autem, quod et verum erat, surgendi sibi facultatem divinitus fuisse collatam, indumento projecto multis coram adstantibus et intuentibus, exiliit. Sensit igitur et expertus est manifesta Dei virtute se sanum effectum. Lætabundus illico resedit, seseque discalcians, mira cum devotione, multisque gratiarum actionibus, nudis pedibus coram Sancto se prostravit: baculum Sancto recipere in signum sanitatis obtulit. Pedibus propriis absque alienæ sustentationis auxilio recessit, equumque non sine intuentium gaudio conscendens, lætitiæ magnæ materiam domesticis suis reportavit.

XLVIII.

Quid de Saxeva Doverensi dicturi sumus? nunquid ei minor fuit lætitia, cujus major extiterat pœna? A nativitate Dominica usque ad dies paschales incisione viscerum et brachii dolore continuo didicerat quid esset sanitatis contrarium: torquebatur non minus dolore cordis quam corporis: operari enim non valebat; erubescebat mendicare: tædebat animam suam vitæ suæ: confugit ad martyrem: oravit et obdormivit. Exhibuit dormienti martyr præsentiam suam, "Surge," inquiens, "offer candelam tuam." Exiliens illa, sanam se repperit; paruit imperanti, adeoque sanam se agilemque ostendit, ut volare se valere hyperbolice diceret.

XLIX.

De dysenterico quoque aut potius lienterico, nobis coram mirabiliter curato, paulo prolixius relaturo mihi lector ignoscat. Quia ad evidentiorem hujus miraculi notitiam, paulo remotius oportet narrandi sumi principium, ut cognita causa modoque infirmitatis, finis quoque melius innotescat. Scho-

lasticum quendam de Norhamptonia, † Ricardum Walteri filium fluctus ventris, quem physici diarrhœam dicunt, spatio mensis unius exhauserat. In somnis una noctium resolutum staturæ grandis homo vultusque terribilis terruit quæstione hujusmodi: "Heus tu" inquit, "dic mihi, quid magis eligis, novem annis jugem tolerare languorem, an post dies novem per mortis debitum naturæ satisfacere." Recusanti utrumque rursus intulit, "Elige citius e duobus alterum; nec enim tibi possibile est conditionem utriusque partis evadere. "Ille vero videns quia nec infortunii prorsus evadendi, nec per responsi negationem eludendæ quæstionis esset facultas, elegit spe recuperandæ sanitatis toto potius præfixi temporis intervallo languore tabescere quam irrevocabilem vitæ dulcedinem præproperæ mortis amaritudine finire. Tunc ille pugno erecto dormientem in summitate femoris vi tanta percussit, ut evigilans totum femur inutile sentiret effectum, sicque per totum illius anni decursum gressu privatus, nunc a fluxu ventris respirabat, nunc reviviscente morbo revocabatur ad mortem. Secundo nihilominus anno, licet gressus beneficio sibi restituto, eodem solutionis morbo per intervalla temporum exhaustus est. Postea vero in pago Wigorniensi constituto, et dysenterico prorsus effecto, medicus quidam spopondit auxilium, curam impendit. Dum dysenterico diversis obviat medicinis, adest iterum tortor ille cruentus, et ægrotantis hospitam in hunc modum compellat, "Utquid medicus ille tempus atterit, curam agens hujus ægroti? Inutiliter laborat: nondum venit terminus ægroto præfixus, ut flagellum hujus languoris evadat." Nescivit mulier de quo termino loqueretur; sed referentem somnium puer edocuit. Industria ergo medici et opera succum-

---

* NORHAMPTONIA, Northampton.

bente quasi quinquennio dysentericus permanens jugi morte sine morte cruciatus est. Dysenteria deinde in lienteriam conversa, quicquid cibi potusve sumebat, indigestum egerebat; adeo etiam utroque meatu, urinæ scilicet et egestionis, laxato, impos sui effectus set, ut nullatenus alterius necessitati sine alterius violento fluxu satisfacere posset. Sed et exterius nimia ventris inflatione cruciatus, miserabile contuentibus præbebat spectaculum. Et in hac ergo miseria vitam miseram† fere biennio transegit. Quum vero complacuit Ei qui illum segregavit ex utero matris ejus, ut amoveret ab eo plagas suas et ut minifestarentur opera Domini in illo, puerulo, fratri languentis uterino, vir speciosus in somnis apparuit dicens, "Suggere fratri tuo, ut Cantuariam novum martyrem adire non§ differat; ipsius meritis pristinæ redonabitur sanitati."

Jam nonus infirmitatis hujus agebatur, annus placabilis Domino, annus benignitatis suæ, annus in qno athletam suum beatissimum Thomam gloria et honore coronavit in cœlis, et ecclesiam suam miraculorum gloria donavit in terra. Impositus igitur bigæ lientericus (neque enim pedes vel eques ire poterat,) quanto magis Cantuariam accedebat tanto sentiebat debilitatis recessum. Relicto vehiculo pedes pervenit ad martyrem. Neminem unquam viventium ita extenuata facie vel decolorata me vidisse memini. Vix cutis ossibus hærebat; faciem totam non dico pallor, sed quasi putredo quædam subnigra fædabat: nemo triduano vel quatriduano a morte suscitato similior. Cesset descriptio: fidem videretur exced-

† This is the reading of the Lambeth MS. The Paris text is as follows, "Et in hac ergo misera vita miseriam &c."

§ This is the reading of the Paris MS. The Lambeth MS omits 'novum' and has 'postponat' for 'differat.' The grammar requires that we should read 'Cantuariæ,' or else that 'visurus' or some such word should be supplied.

ere. Hic talis de aqua sancti gustavit oravit prostratus in terra. Repente, ac si in maximo constitutus supplicio, ejulare cœpit et vociferari, volutare et variis anfractibus agitari. Lassatus obdormuit, evigilavit incolumis; veruntamen tum certitudinis tum devotionis causa Cantuariæ diebus aliquot commoratus, testatus est nobis sequenti se nocte semel ad debita naturæ surrexisse, quum nocte præcedenti morbi necessitas sedecies illum surgere compulerit. Sed et in crastino ex insperato per aquæ gustum nausea provocata, ut nec seminarium infirmitatis ejusdem in ipso relinqueretur vomitu, plurimum sanitatis consequutus est profectum. Interrogatus etiam a nobis utrum sicut gestu corporis arreptitius videbatur, ita et mente captus esst, an intelligeret potius quod agebat et quod patiebatur sentiret, quasi in extasi constitutum se fuisse respondit, sensisse tamen in principio contrahi sibi ventrem inflatum, plurimumque constringi; angustam sibi extitisse ecclesiam; nihil aliud se reminisci. Eundem in modum et alii multi sciscitantibus nobis responderunt, qui gestu simili simile commodum sunt assequuti. Hic itaque gaudoi plenus abscessit, tanto erga sanctum devotior quanta longioris languoris miseria elongatus.

L

In omnibus his non est aversus furor malignorum, sed adhuc manus eorum extensa. Et nuntiatum est in ecclesia Cantuariensi quod congregassent quidam, qui neci martyris interfuerant, congregationem, fortes auxiliarios, et quia parati essent, in multitudine armatorum et apparatu plurimo, nocte proxima rapere martyrem; * nec simul in unum

* The family of Randolf, or Ralph, de Brock, who held the neighbouring Castle of Saltwood, were principally instrumental in caus-

eos convenisse, sed per loca dispersos audivimus et ad invicem sibi juxta quod opportunum videbatur condixisse. Securitatis causa parantur a nobis vires contrariæ; sed et corpus sancti de tumba marmorea in capsam ligneam transponentes† retro altare Beatæ Mariæ abscondimus, quatenus, si forte viribus prævalerent maligni, martyrem in sepulcro non invenientes, fraudati redirent atque confusi. Ea nocte tot fere fuere vigiles quot monachi in ecclesia. Vigilavit et Dominus pro nobis, qui non dormit neque dormitat, et dispersit illos in virtute sua, sicut etiam cuidam fratrum nostrorum, infirmo et quid circa sanctum fieret prorsus ignoranti, per visum ostensum est. Videbat super pinnam templi angelum inestimabili luce radiantem, et monachos plures in circuitu ejus super tabulata quædam strata deambulantes; et ad partem aliam conversus aspexit quasi funem igneum contra faciem ecclesiæ porrectum, qui in geminum caput pullulans ambitum ecclesiæ cingere minabatur; rursumque, oculis ad angelum conjectis, quasi fulmen in aere pendens juxta angelum contemplatus est. Dum ergo staret stupens et tremens, adstitit juxta illum vir quidam

ing the death of Thomas à Becket and in persecuting the monks of Canterbury after the murder. They threatened the trembling priests that they would mutilate the corpse, if it was not speedily removed out of the way. HERBERT DE BOSHAM, in his life of Becket [Opera, Londini et Oxon. 2 tomis 8vo, vol. i, p. 359,] gives the following account.

"In crastino vero reaccedentes viperæ, de jam sæpedicta progenie viperea, virus suum per linguam suam lanceatam evomentes, terribiliter intonant, si corpus seductoris illius super terram foret adhuc; adjicientes quod, nisi citissime ab hominum oculis amotum absconderetur sub terra, illud per totam civitatem equis distrahendum aut suspendendum patibulo: inhibentes etiam ne corpus seductoris inter sanctorum pontificum sarcophaga poneretur."

† These observations are a valuable supplement to the accounts

et ait, " Quid contemplaris? nunquid nescis quid ista portendant? Angelus ille resplendens Archiepiscopus est: monachi, quos in circuitu ejus aspicis, hujus ecclesiæ filii, nocte ista circa illum excubantes: funis igneus, capita in diversas partes jaciens, malignantium invidia e diverso venientium et mala nobis machinantium; fulmen autem, quod angelo vicinum intueris, terror Divinus est, impediens ne malum, quod mente conceperunt, opere compleant." In his verbis ille evigilavit, residensque in lecto Dominum pro defensione Ecclesiæ precabatnr; et factus est repente de cœlo sonus, et mugiit aer tonitru horribili et incanduit ignibus, et facta sunt tonitrua et coruscationes et fulgura, et inundaverunt aquæ de cœlo, et venit tempus quale non fuit a multis ante diebus: et benedximus Deum cœli qui emisit fulgura et coruscationes et dissipavit eos, et a timore inimicorum ereptos etiam per visionem hujusmodi lætificavit nos.

LI.

Curavit in crastino Dominus Eilnoldi § filium de Bergestende Ricardum, qui annis triginta quatuor unius peccati pœnas solvisse putatur. Post mortem enim regis Henrici Primi, quum, pace Anglorum turbata, regnum in se ipsum divisum desolatum fuisset, ¶ adhærebat Ricardus idem cuidam militi et die noctuque rapinis et pauperum deprædationibus invigilabat. Concluserat enim Dominus in gladio populum

---

of Becket's death, given by Herbert de Bosham, and the other biographers, in VITA SANCTI THOMÆ, 2 VOLS 8vo, LOND. ET OXON., 1845.

§ EILNOLDI—Eilnodi B.

¶ King Henry I died in 1135, and his crown was seized, to the disparagement of his daughter, the empress Matilda, by his nephew Stephen count of Blois. The reign of this brave usurper is marked by

suum, et depascebantur potentes vineam Domini, et facies pauperum demoliebantur. Hic igitur, inter alia juventutis suæ delicta, agrum pauperculæ quem illa messuerat, messionis tempore deprædatus est; et vidit eum mulier et maledixit ei in nomine Domini. Elapso vero modico tempore ita in tibiis et pedibus percussus est, ut ad opus simile ulterius currere non valeret. Tibiis enim in arctum sinuatis, et curvatis introrsum pedibus, pedum plantæ mutuo se respiciebant: cratibus pedumque nodis et tibiarum, quas vulgo cavillas dicimus, plantarum vice utebatur. Ita in eo triginta quatuor annis punitum est, quod in una deliquerat hora. Quum autem venisset tempus miserendi ejus, et ipse Cantuariam veniens coram sepulcro sancti patris assisteret, toto corpore concussus visibili corporis motu invisibilem testatus est adesse virtutem. Nam etsi fortissimus quisquam per humeros arreptum totis viribus excussisset, nec ita concuti potuisset. Retrograde quasi violento tractu incedens ante altare beatæ virginis Mariæ, ubi corpus sancti præcedenti nocte absconsum fuerat, prosternitur; ubi sæpenumero cadens et resurgens, surgens et recidens, tanta tandem celeritate tantaque agilitate super altare prosilivit ut idem facere sanissimo levissimoque difficillimum videretur: rursumque, quasi in agonia factus, de altario se dedit præcipitem. Mirabantur si collum ejus remansisset indem-

---

a succession of battles and sieges, by which the whole kingdom was desolated to an extent unknown either in previous or in succeeding times. A notorious freebooter of those days was one William of Ypres, who is frequently mentioned by the chroniclers of those times. He, and all the other foreigners who oppressed the English, were finally expelled the kingdom by Henry II and his chancellor Thomas à Becket.

ne : plurimum vexatus de solo surrexit, erectusque in pedes plantarum ex tunc sese portavit officio. Quæsitus quare vel quo impulsu super altare agilitatis tantæ saltum dedisset, dicebat se nihil aliud potuisse quam quod Dei matris § et Domini martyris cogebatur virtute.

LII.

Magnus martyr et magna virtus ejus, et miraculorum ejus jam non est numerus. Obdormierat ante annum puer de Tongues, * Randulfus nomine, in prato, surgensque post somnium ut abiret, pedes nequivit extendere. Contractis poplitum nervis, alter talorum natibus adhæserat : alter a natibus non longe distabat. Pedis sinistri digitus maximus plantæ jacebat suppositus ; reliqui quatuor rependi † crati pedis adhærebant. In altero poplitum pustulæ plures induruerant. Gradiendi igitur necessitatem usque ad miraculorum tempus reptando implevit.

Venit ad martyrem in miseria et dolore se † se trahentium super terram atque serpentium. Suscipit venientem martyris clementia : tenduntur nervi ; cruciatur puer et clamat : rumpuntur inter clamores pustulæ ; excurrit sanies ; tali anatibus ; digitus pedis maximus a planta ; reliqui quatuor a crate revocantur. Surrexit erectus et abiit ; sed nervorum ex nimia dolens extensione, usque ad hebdomadam tertiam claudicavit.

---

§ The words DEI MATRIS are omitted in the Lambeth MS ; and it is possible that they may be no more than a reduplication of the following words DOMINI MARTYRIS, introduced by an error of the Paris scribe, or of my transcriber. But it appeared best to retain them in the text ; as the Virgin Mary is known to have been held in peculiar reverence by Thomas à Becket.

* TONGUES—Tangis C. † The text is here corrupt.

LIII.

Videntes ergo quantum multiplicaret nobiscum misericordiam suam Dominus, scientesque quod hæc signorum et prodigiorum copia odii et invidiæ fomitem malignantibus administraret, ne forte rursum attentarent quod ante perficere nequiverant, martyrem in locum priorem reponentes munivimus sepulcrum, signantes lapidem cum custodibus. Erectus est autem circa sarcophagum marmoreum paries de lapidibus magnis sectis, cæmento et ferro et plumbo firmissime consolidatis, duas in utroque laterum habens fenestras, quibus advenientes capitibus immissis ad osculum sarcophagi pervenire valerent, superposita nihilominus tabula grandi marmorea, eratque structura concava inter sarcophagi summitatem et tabulam superpositam, pene pedalem habens distantiam. De fenestris autem admiranda quædam contigerunt et digna relatu.

LIV.

Novimus enim viri, natione Flandrensis civis vero Cantuariensis, eitini § conjugem Matildem nomine, quæ quum ad unam fenestrarum caput inclinasset, nullo conatu ad osculum sarcophagi, quum corporis esset gracilis et exilis, prævalebat accedere. Domum vero cum matrona quadam domina sua regrediens, inter confabulandum sic eam percunctata est. "Domina," inquit, "martyris tumbam osculata es?" At illa, "Osculata quidem non semel tantum sed

§ This word is evidently corrupt: the Lambeth MS has ERANT, which is equally unintelligible. Perhaps it should be some word in the genitive case, denoting the name of the husband, such as EDWINI.

sæpius." Et "Quomodo" ait "ad sarcophagum grandis et corpulenta mulier accessisti, mihi parvæ tenuique per eandem fenestram accessu negato? Satis conata sum, cassoque labore moram non parvam consumpsi." Respondit illa "Scrutare conscientiam tuam, et diligentius inquire utrum forte sancto vel in carne vel cum * Deo viventi derogaveris." Tum illa ingemiscens graviterque se ipsam reatus hujus accusans, ad locum sepulcri recurrit, precibusque et fletibus largioribus indulgens, veniam se impetrasse certo comprobavit indicio. Accurrens enim debita cum reverentia ad fenestram prædictam, non solum caput, sed et scapulas absque difficultate ingessit; ita ut se fere a summitate sarcophagi oscula desiderata reportare gauderet. Denique domum reversa, quum hæc inter prandendum in auribus convivantium effudisset, audivit a viro suo quia et sibi similiter contigisset.

LV.

Sanctus vero foramen, quod utrique mirifice coarctaverat, alii cuidam miraculo grandi et stupendo ampliavit. Staturæ grandis et ætatis adultæ quidam de Selingis, Elwardus nomine, mentis agebatur insania. Quocunque se vertebat, humani generis hostem opposita fronte sibi occurrere putabat. Imperabat illi in nomine Domini abscessum; et quasi in faciem oppositi exspicebat. † Adductus est ad sanctum et juxta sepulcrum collocatus; ibique larvosam illam § vidit imaginem quasi in ipsum impingentem. Nesciens quo diverteret, confugit ad martyrem, miroque modo in foramen arctum, quod capitis

* We should perhaps read CORAM.

† I cannot decipher this word. § ILLAM — om. C.

vix erat capax humani, totum corpus impegit, seseque intrinsecus in tanta loci angustia facillime circumvolvens, caput ad martyris pedes, et pedes ad martyris caput convertit. Quumque ita super sancti corpus extensus aliquantulum quievisset, et nos exeundi modus redderet sollicitos, certissime putantes diruendam esse structuram, ut exire posset, ex insperato per aliud foramen exivit. Sanatum postea idem iterare præcepimus; sed nullo conatu etiam vestibus exutus scapulas foramini valebat impellere. Exilis quoque et quasi puerilis corporis adolescentem hoc ipsum fecimus attentare, vidimusque conatus ejus inutiles.

LVI.

Londoniensis quidam Willelmus, cæcitate sibi inflicta, aqua sancta Cantuariensi oculos lavans, alterius recuperabat officium, altero in cæcitatis permanente caligine. Iterum iterumque eadem usus medicina, nullatenus ad ampliorem potuit provenire profectum. Videns autem quia in visu amplius non proficeret, miratus est, verique similiter conjiciens etiam amicos suos indifferenter conjicientes audivit; sanctum videlicet ideo alterius oculorum collata sibi facultate alterius ad tempus distulisse beneficium, ut ex recuperatione restituti spe concepta alterius recuperandi, Cantuariam ad sancti memoriam properaret, tam pro sano devotus in gratias, quam pro infirmo intentus in preces. Veniens itaque ad sepulcrum obtulit, fenestræ caput imposuit, dictoque citius illud extrahens, manu ad oculum sanum conjecta, cilioque compresso, oculum, quem cæcum attulerat, circumducens, clamavit "Quid est modo? en video!" Mirantes nos qui tunc adfuimus, et rei eventum, veritatemque diligenter examinantes, omnia satis votis nostris respondentia invenimus, excepto quod in pupillis non plene

defæcatis portio nonnulla remanserat albiginis; quæ tamen in brevi omnino disparuit.

LVII.

Erat dies festus, quo sanctæ crucis annuatim recolitur inventio, ‡ et jacebat passim in ecclesia Cantuariensi multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expetentium et expectantium sanitatem, et virtus erat martyris ad sanandum eos. Erat inter alios puer quasi decennis Enfridus Doverensis cujusdam Edwini filius; cui vocis articulatæ munus a nativitate Natura negaverat: quod incommodum forsitan inde processit, quod alterius aurium auditu funditus destitutus, altera nihil aut pene nihil audire valebat. Altero præterea oculorum semiclauso, altero sub ciliis clausis penitus occultato, vix oculi dimidii usu gaudebat. Manus dextræ nervos ita contractos habeba, ut inflexis introrsum digitis digitorum radicibus summitates jacerent infixæ, unguibus aliquantulum in opposita carne demersis. Pustulæ tres in altero femorum excreverant, quæ tandem evanescentes claudum illum reliquerant. Hic igitur talis, tam infortunatus, tam miserabiliter fere singulis sensibus dimidiatus, die solennitatis prædictæ, in loco ubi pretiosus pretiosi martyris sanguis effusus est, a parentibus suis collocatur. Illis orationi incumbentibus, in fletus et ejulatus erupit, et cruciatus, plurima tam gestibus quam fletibus dans indicia, nonnullos circumstantium egit in lacrimas. Post clamores et gemitus in somnum resolvitur, et ecce adest venerabilis ille Dei amicus pontificalibus indutus, et ait illi "Quid hic facis? qui vis?" At ille

‡ The "Invention (or Discovery) of the Holy Cross" was celebrated on the 3rd of May.

"Domine" inquit, "sanitatem meam quæro." Tunc Sanctus puerum duobus digitis per cincinnos sincipitis arripiens (tonso namque capite rursum capilli quantulumcumque pullulaverant,) benigni patris more filio colludentis leviter illum excussit, ita inquiens, "Surge, vade domum:" quumque post dulcem et gaudio plenam visionem evigilasset, gaudii non modici causam populo circumstanti adduxit. Deus enim, qui claudit et nemo aperit, aperit et nemo claudit; os et aures pueri benigne reseravit, auditum perfecto contulit: soluto linguæ vinculo vocis articulatæ docilem effecit; ita ut loquentium verba, laboriosus tamen imitator, exprimeret. Aperti sunt etiam oculi ejus et visum absque omni scrupulo imperfectionis recepit; digitos, ante ad volam inflexos, libere et expedite extendit, et absque prædicto incessus vitio surgens ad tumbam sancti cum parentibus suis accurrit, quantum accurrentis et occurrentis populi permisit multitudo. Videres igitur ad pium spectaculum pietatis filios confluere, tam manibus quam cordibus ad Dominum erectis, in Dei et martyris laudes prorumpere, in lacrimas uberes effluere præ gaudio,

Quas dolor aut damnum sæpe ministrat opes.

LVIII.

Necdum hujus delectabilis visionis aspectu fuimus exsaturati, quum ecce ad aliud trahimur nihilominus gloriosum spectaculum. Jacuerat in ecclesia muliercula de Hortonia Wekerilda, et tribus diebus cum noctibus totidem in jejunio continuatis, clamoribus gemitibusque miserabilis pœnæ præbebat notitiam. Caligaverat autem et penitus circiter sex annos oculus sinister; temporeque non* breviori sinistra manus usque ad brachium fuerat inflexa, ita ut vola

* non—om. C.

manus brachio pene videretur conjuncta. Crus etiam dextrum annis plus minus undecim fere usque ad femur habuerat reflexum: pedemque ita curvatum, ut respicientibus se invicem talo et digitis, maximus digitorum sub cavilla pedis interius pedi videretur unitus. Hanc itaque mulierem eo usque melioratam perspeximus, ut utroque oculo perspicue et indifferenter videret, utramque manum equaliter haberet erectam, utrumque poplitem non dissimiliter extenderet, digitisque pedis infirmi in locum suum et ordinem revocatis, utriusque pedis digitos non equaliter rectos ostenderet. In hoc tamen sanitatis gratiam minus plene fuerat assequuta, quod solo pede aliquantulum sinuato claudicans, baculo incederet. Quatuor igitur in una muliere facta miracula, confluentibus populis, ad immensam cessere lætitiam: usque ad decem homines eo die de variis infirmitatibus convaluerunt, sed quosdam elapsos revocare nequimus; quosdam teste carentes repulimus.

LIX.

Mulier quædam de Bekenham juxta Londonias, cui nomen Elvida, annos circiter quinque, cohærentibus sibi invicem ciliis et quasi conglutinatis, neutrum oculorum aperuerat. Quæ filii sui ducatu, recipiendi luminis intentione, ad publicum illud Anglorum lumen confugiens, quum ad locum * ubi manibus satellitum immanium extinc-

* The exact spot where Becket was murdered, may be ascertained without difficulty. The northern transept, still bearing the name of the Martyrdom, shews a door on its western side leading into the cloisters. Against the wall opposite this door, i. e. on the eastern side of the north transept, and close to the end of the wall which separates the Lady-Chapel

tum fuisse putabatur, appropinquasset, sensit, ut ipsius postea relatu didicimus, quasi commoto cerebro caput sibi vehementer turbari, et velut fornaci succensæ impositum totum igniri. Projecto igitur capitis velo, et a pectore veste conscissa, in terram prona concidit, et quasi horæ unius intervallo transacto, apertis oculis exsurgens, in hæc verba prorupit: "Pretiose domine, sancte Thoma, tibi gratias ago quia nunc video." Accurrit populus ad pium et ‡ gloriosum spectaculum, tam gaudio plenum quam admiratione dignum. Probaturi singuli utrum revera videat, percunctantur quid habeant in manibus, quibus motibus manus et manuum digitos agitent, et multa his similis; quibus rei certitudinem possint deprehendere. Illa vero singulis per singula prout rei veritas se habebat, respondens, ab adstantibus non solum gaudendi, verum et illacrimandi extorsit voluptatem.

LX.

Ulcere pessimo decoriatum exesum pedem Emmæ de Canitonia pago Cantuariæ vicino, qui vidisset, etiam si cordis esset ferrei, emollire posset ad compassionem. Quadriennium in dolore transegerat: tam diris punctionibus tantoque deperibat ardore, ut non minus gemitibus et decolorati vultus indiciis quam verbis fidem faceret. Quæ quum ulcus aqua sancta lavasset, cessavit ardor, cessavere punctiones, cessavit dolor omnimodus. Decoriato pede caro cruda obdurata sanie partim videbatur contecta, sed in brevi superducta cute nova plene convaluit.

---

from the Northern side of the choir, the Archbishop was put to death by the four knights.

‡ AD PIUM ET—et pueri ad C.

LXI.

Similiter et Gaufridi Paritis uxor de Gipeswiz * Matildis annis fere sedecim oculis adducta tantum alienis, sanctæ Cantuariensis aquæ virtutem nobis coram experta est. Nam et oculos lavit, et oculorum, ut ita dixerimus, abluit cæcitatem.

LXII.

Allatus est etiam in lecto gestatorio Brianus de Insula vir in vicinia sua præposituræ potestatem exercens, et timeri magis studens quam amari. Pectori ejus mentum propemodum adhæserat, collo rigido et prorsus inflexibili: caput non aliquatenus erigere, non in aliquam partem contorquere, valebat. In grabato ferebatur, nec equitare potens nec pedes pergere. Dolor vehemens mortisque formido humilem et devotum effecerant. Positus ad ostium ecclesiæ, quasi occurreret ei martyr et diceret "Surge, tolle grabatum tuum et ambula," relicto lecto ad tumbam pedes pervenit; incessit; circumdedit collo ejus sacrista Cantuariensis ecclesiæ Robertus martyris brachile cruentatum, et melioratum dimisit. Erecto mento grabatum sancto reliquit; pedes abscessit; plene tamen non nisi in multorum interpositione dierum convaluit.

LXIII.

Vidimus et Fredonem quendam de terra Martyris §

* Ipswich in Suffolk.

§ The town of Bury St Edmund's, or St Edmund's bury derives its name from Edmund king of the East Angles, who was taken prisoner by the Danes, shot to death with arrows, and afterwards canonized. The territories of the Monastery of St Edmund's were immense—almost as large as the Patrimony of St. Cuthbert.

Sancti Edmundi, qui quasi per duodennium in compagine pedum et tibiarum dolore quodam intolerabili fatigatus, neque fodere, neque operis hujusmodi quicquam potuit exercere. Si quando tamen, sopito dolore, quicquam operis attentaret, mox lecto receptus, etiam deambulandi facultatem amittebat. Asseverante autem ipso in somnis se accepisse, quod incommodi tanti reperiret remedium, si sancti Thomæ sotularibus pedes imposuisset, quum nullatenus inveniri potuissent, pedalem ejus calciando integre assequutus est sanitatem.

LXIV.

Miseræ prolis parentes miserabiles, Eilmerus de Beche et conjux ejus Edilda, apud Cantuariam meruerunt gaudii parentalis experiri delicias. Sobolem illis pietas Divina contulerat, sed sobolis munus imperfectio Naturæ denigrabat. Erat iis filius quasi annorum novem Henricus, quem mater quum peperit, onus sibi adjecit potius quam abjecit. Nulla ei unquam facultas incessus : nulla standi : nulla quomodocunque surgendi extiterat. Annis novem de loco movebatur ad locum : sed non nisi portatus. Procumbentibus cum puero parentibus, ubi martyr occubuit, post paullulum gressu collato surrexit, et baculi seu porrectæ sibi manus auxilio, huc illucque rudis et inexercitatus viator incessit. Consolidatæ igitur sunt bases ejus et plantæ, et quod Natura non dederat, exequutio apprehendit.

LXV.

Non minus infortunatæ mulieri, uxori Willelmi cujusdam Lincolniensis, non minus feliciter successit. Filio suo Willelmo, anno nativitatis suæ secundo vel tertio, struma pergrandis excrevit in renibus. Ex struma igitur dolor, ex

dolore debilitas, ex debilitate tantus contractus est effectus, ut usque ad anni quinti terminum sextique principium, gradiendi ab eo esset eliminata facultas. Res etiam ei impossibilis in pedes erigi: sessio intolerabilis; ipsa jacendi requies pariebat asssiduitate supplicium: nullum enim in rebus humanis remedium, quod non ægritudinis et pœnæ sit causa, non intermissum; et quævis requies, non alternata quiete, quietis et nomen exuit et effectum. Arripuit itaque mater parvulum, et quem ante laboriose gestavit in utero, Cantuariam gemebunda portavit in ulnis. Distabat adhuc a civitate itinere dierum duorum, quum puero sanitas est inchoata: vidimusque ipsum postea coram patris nostri sepulcro recuperare incessum, et strumæ vix aliquod apparere vestigium.

LXVI.

Eo usque infirmatam novimus matronam Londoniensem Eremburgam, in tantum et a se et a suis omnibus desperatam, ut legatis omnibus quæ sui juris esse videbantur, sepulturam sibi cum canonicis apud beatæ Virginis et matris ecclesiam exposceret. Contradicit presbyter, ad cujus spectare videbatur parochiam, vel funus vel pro funeris emolumento quinque solidos exigens.§ At conjux mulieris ejusdem, nec eam petitionis suæ volens sustinere repulsam nec sacerdotis satisfieri voluntati, cogitavit quomodo caute litem illam dirimeret. Navi ergo impositam mulierem ipse custos comitatur timore plenior quam spei vicinior, allaturum se Cantuariam existimans funus potius quam feminam. Illa vero, tam spei expers quam timoris aliena, velut insensibilis

§ This is one passage out of many, which shew the use of this collection of Miracles in illustrating the manners and customs of those days. See the Preface.

tractabatur. Exposita de navi in lectica recipitur; perventum est ad Cantuariensem ecclesiam : infertur mulier, non inducitur, ministerio plurium, non unius. Brevi temporis intervallo martyre coram jacuerat, quum et intellectum et loquelam recepit. Rediit vigor et resedit. Precibus igitur martyrem pulsat, ut vel citius ibi decedat vel citius convalescens domum pedes regrediatur. Mirati sumus, qui adfuimus, præsumptuosum orationis principium; mirati nihilominus devotioni ejus condigno fidei pretio tam subito esse responsum : mora namque non grandis intervenit, quum velut irruente in eam Spiritu Domini exiliit, et sancti mausoleum concito firmoque gressu sæpenumero circumiens, tandem hospitium suum juxta desiderii sui petitionem pedes petiit. Orta vero in crastino inter eam virumque suum de quadam pecunia quæstione, dum ille repetit quod eam viderat habuisse, et illa inficians fidem sibi non haberi perpendit, etiam beatum martyrem Thomam testem mendacii sui vocare non trepidat, juransque et pejerans statim infirmata est et a mente vicissim alienata. Redeunte interdum quiete reatum palam confitetur; reducitur ad martyrem; veniam cum salute rursus implorat; tantoque ad sancti sepulcrum laboravit supplicio ut pœnam perjurii solvere putaretur; rursumque respecta Divinitus pedes abscessit, sani quidem corporis, sed mentis vicinæ satis amentiæ. Processu tamen temporis penitus evasit.

LXVII.

In omnibus his non est aversus furor malignorum, sed adhuc manus eorum extensa; et exacuentes tanquam gladium linguas suas singula quæque Dei magnalia vel imprudenter contradicere vel versute depravare satagebant. Eorum enim imitati vestigia, qui Dominum

in Beelzebub principe dæmoniorum aiebant ejicere dæmonia disseminabant ubique monachos Cantuarienses magicis incantationibus dare operam, et arte diabolica miracula hæc simulari, non fieri; adventantes per eorum incantationes subito arripi, et ad eorum nutum ab insania dimitti, et sic agitatione diabolica cessante, sanatos videri quos infirmitas ante nulla premebat: et non erat conveniens testimonium eorum. Martyr enim in Deo faciebat virtutes, et, ut ipse ad nihilum deduceret tribulantes nos, ita hujus abjectionis ictum elisit, ut oporteret eos aut ab innocentiæ nostræ læsione cessare, aut Angliam totam prædicti criminis accusare. Repente namque prodigiorum atque signorum per omnem Angliam multiplicatus est numerus; multiplicatisque veritatis testibus innocentiæ nostræ famæque consultum, et cessit malevolis nostris in memoriam et gloria nostra in confusionem ipsorum. Tot enim ad nos veritatis testes de omnibus angulis Angliæ confluxere, ut iis resistere et contradicere non possent omnes adversarii nostri.

LXVIII.

Quibusdam tamen Christo Domini adhuc detrahentibus, quum audiret hoc de provincia Eboracensi miles, Thomas videlicet de Ethonia, § ipse quoque, licet ei olim præposituram de Beverleia * ministranti servierit, ejus sanctitati et gloriæ derogare non erubuit. Non citius in dominum suum Christum Domini blasphemiæ venena

§ Ethonia. Probably Eton in Cheshire.

* Among the honours and emoluments, which were lavishly bestowed on Thomas à Becket, was the provostship of Beverley in Yorkshire.

jactaverat; quam, juxta quod scriptum est, Flagellat Dominus omnem filium quem recipit, periculoso ut putabatur, squinontiæ morbo percussus pene præfocatus est. Advertens autem ex repentina infirmitatis immissione derogationis se reum esse atque correptum, in toto corde conversus ad Dominum, flagellum martyris flagello pœnitentiæ et contritionis Spiritus temperare non distulit. Miram Domini justitiam mira Domini pietas est subsequuta. Non enim citius reatus sui pœnitens internas cordis lacrimas martyr obtulerat, quam omnimoda redeunte quiete totus ille dolor in nihilum evanuit et occurrente tempore opportuno ad sancti festinans memoriam, etiam a febribus validis se postea per martyris invocationem liberatum testatus est.

LXIX.

Juvona Roberti Puintelli de Essexia, multis mihi noti, nupta, mulier non minus moribus honesta quam facie, quum aliquando diebus paucis post partum, a cibis inutilibus minus temperans, de pisce nocuo comedisset, infirmata repente cœpit intumescere. Præstolantibus domino suo atque familia tempus curationis sive levaminis, crevit tam sua mœstitia quam ægrotantis infirmitas, quumque mulier, circa noctis sequentis medium, invalescentis immoderate tumoris nullum speraret jam superesse remedium, de hominis exterioris desperata sanitate, saluti providere studuit interioris. Accersivit summa cum festinatione presbyterum, sed antequam ejus mereretur præsentiam, obmutescens loquelam amisit. Jam vero omni spe lætitiæ prorsus exclusa, nullus erat modus tristitiæ singulorum. Sola tamen duntaxat nutrix ægrotantis quæ aderat, beatum Thomam revocans ad memoriam, persuasit ut ad ejus merita confugeretur

et, voto pro eo facto, candela ad longitudinem corporis ejus et grossitudinem in honorem sancti citius efficeretur. Acquievit miles nutricis consilio. Quum igitur protenso filo mensurata fuisset, statim in latus se vertens, parum obdormivit, quantum quis gressu lento quasi stadii unius iter posset fecisse. Evigilans autem statim surrexit, gracilemque se et penitus incolumem ostendens, omnibus suis amissam reduxit lætitiam, veniensque una cum domino suo Cantuariam, hujus miraculi nobis gaudium communicavit, et in ecclesia Cantuariensi, ob sancti martyris reverentiam orationibus et gratiarum actionibus pernox invigilavit.

LXX.

Indolis bonæ juvenem Radulfum Radulfi filium de provincia Lincolniensi, languore tabescentem, sanguis e naribus erumpens et biduo incessanter emanans reddiderat desperatum. Carminum efficaciam, vires herbarum, lapidum virtutes, incassum intentanti sacramentis extremis securior e corpore præparatur egressus. Reducitur interim parentibus et amicis desperatis martyr memorandus ad memoriam, et mulieris evangelicæ pro filia dæmoniaca clamantis tam fidem quam dolorem assumentes, martyrem devote suppliciterque per sanguinem, quem pro tuenda Ecclesiæ libertate gratanter effudit, adjurant ut emanantem pium periclitantis juvenis sanguinem, ne moriatur, præcastiget, impetret ei vivendi spatium, gratiam conferat sanitatis. Prope est martyr omnibus invocantibus eum in veritate: surgentes omnes ab oratione juvenem sanguine restricto cernunt convaluisse ab ægritudine. Vigorem minus plene collatum alimentis postea reformavit. Viribus restitutis martyri cum oblatione præsentatus est, comitantibus eum parentibus et hujus rei testimonium perhibentibus.

LXXI.

Matildi Rogerioque Londoniis apud tabernas vinarias commorantibus, filius ex fornicationc natus post paucos dies infirmatus est, adeo ut mortis jam propinquæ signis in vultu manifestius apparentibus, totus refrigeratus jaceret. Plorat uterque parens, sed mater, quæ tenerius diligebat, uberius. Perpendit tandem diligentius discutiens, quod post neglectæ damna castitatis non immerito subitas fornicationis pœnas reposceretur. Martyris memor effecta vitæ pristinæ renunciavit: mira rerum conversio, non citius facta candela infantem infantisque cunabula in honorem sancti fuerat commensa, quam puer incolumis et hilaris effectus oblata sibi matris ubera suxit.

LXXII.

Artis sutoriæ juvenis Londoniensis, nomine Gislebertus, fistulæ morbo correptus, magis et magis in dies periclitabatur. Perforavit ei pestis eadem tum ventrem tum ilia, in locis quinque, et foraminum aliquod tantæ amplitudinis effecerat, ut trium digitorum latitudinem vincere videretur. Exesa ventre intestina videbantur. Desperatus igitur a suis, et auxilio destitutus humano confugit ad divinum, et Cantuariam licet plurimo cum labore pervenit. Litis * post orationem factam vulneribus martyris cruore, etiam nonnullam ejusdem potionem, licet parvulam, impetratam secum Londonias deportavit. Ubi singulis diebus singula perunguens vulnera, in brevi reformata sibi sanitate convaluit. Rursus igitur ad sanctum convolans, ut impenso sibi sanitatis munere debitas rependeret gratias, ab urbe

* LITIS — Linitis B.

Londoniensi usque ad Cantuariensem, quinquaginta videlicet passuum millia, uno die pedes perrexit, et se ipsum nobis nudum et perfecte curatum ostendens, etiam alios ad cursum invitare non timuit.

LXXIII.

Fistula nihilominus et Hugonem de Burnis, Willelmi filium exhauserat, et tribus annis continuis invalescendo conjunxerat morti. Defossa sub ascella caro usque ad costas ovum impositum amplo sinu reciperet. Foramen hoc magnum in novem dividebatur meatus: ascensu obliquo unus tendebat ad pectus, alter in oppositam partem ad dorsum, tertius usque ad colli summitatem ascendebat, quartus ad renes obliquum habebat descensum: cæteri quo se flexerint, non recolo. Medicum peritum juvenis consuluit, a quo tandem desperante relictum se prorsus incurabilem esse audivit. Confugit ad sanctum: aquam petiit et accepit: tota foramina eadem hebdomada desiccata sunt. Sanum se sentiens atque robustum operibus rusticanis atque laboribus mox cœpit insistere. Redivivo morbo laborans corripitur: ad medicinam priorem refugiens iterato curatur; lavit enim se et abiit; nec ulterius fistulam sanie manare conspexit. Ante diem octavum redintegrata carne sanissimus effectus est.

LXXIV.

Convivium fecerat Ricardus quidam in Essexia. Amicis et notis epulantibus illic, introivit in domum domus opilio, pyxidem portans in manu. Cui Ricardus "Quid" inquit "portas, opilio?" "Aquam" ait "Cantuariensis martyris ego affero:" et Ricardus ad opilionem, "Si vere mihi fideliter in ministerio tibi credito servisti, et non est

in manibus tuis iniquitas, aquam attulisti: si vero nec guttam tibi sanctus in vase reliquit, furem te profecto comprobavit. Consenserunt ambo in eandem conditionem. Acceptam ergo pyxidem idem Ricardus coram omnibus aperuit; sed ita non dico evacuatam, sed desiccatam invenit, ac si aqua nunquam infusa fuisset. "Fili," inquit, "da gloriam Deo: confitere quid feceris." Inficiatur ille furtum et scelus omnimodum; non habens tamen quid ad sui defensionem obtendat, nam neque lignum bibulæ qualitatis arguere potuit, quum solidum esset, nec viæ prolixioris spatia, quum non a Cantuaria, sed a vicina domo aquam attulisset. Instanter igitur exanimatus, fatetur se domino suo in caseo et butyro solvendo minus extitisse fidelem. Indulta vero sibi pro sancti amore venia, et excessu ejus in jocum et risum et martyris gloriam converso, in ostensionem et memoriam tam jucundi miraculi pyxis eadem in ecclesia suspensa est.

LXXV.

Canonicum et camerarium ecclesiæ sanctæ Frideswithæ de Oxenefordia,* Robertum diarrhœa nimis attenuaverat. Sedato postea fluxu adeo constipatus est, ut fierent novissima ejus pejora prioribus. Conante eo super modum Naturæ satisfacere, versa est ei valitudo pristina in vomitum assiduum. Lecto itaque receptus, eo usque diductus est, ut, concurrentibus in eum mortis signis universis, nihil ei putaretur superesse remedii. Accessit ad ægrotantem unus e fratribus sancti martyris Thomæ, mentionem arctius ejus memoriæ volens inserere. Ille vero, martyris nomen conatus exprimere, prima syllaba prolata, secundam, utpote in-

* The priory of St Frideswith stood where the college and cathedral of Christ's Church now stands.

firmitate graviter oppressus, reliquit intactam. Recordatus autem canonicus, qui ei assidebat, illam sanctæ recordationis aquam haberi in monasterio, quum ad eam adferendam citius cucurrisset, regressus ostendit eum jam clausis oculis amisisse loquelam. Os tamen illius aperiens, guttas aliquot, sancto suppliciter invocato, instillavit. At ille confestim, nullo interfluente temporis intervallo, libera et expedita voce exclamavit "O domine, sancte Thoma, miserere!" Dixit, statimque resedit, tantumque virium eo die recepit, ut in crastino in conventum rediret, rigorem ordinis cum cæteris more solito sustinere non veritus, eo quod salubilis effectus, nulla jam constipationis pulsaretur molestia. Quod quum vidisset ejusdem ecclesiæ prior, Magister Robertus de Cricklade, convocatis duobus canonicis, qui nunquam his, quæ de beato martyre dicebantur, fidem poterant adhibere, "Creditisne," inquit, "an adhuc fluctuatis?" At illi, nullum ambiguitatis scrupulum in se remansisse confessi, nonnullam interroganti contulere lætitiam. Sic pietas divina, propulsa ab uno valetudine corporis, curavit in duobus vulnus incredulitatis. Hæc ab ejusdem venerabilis prioris ore suscepimus: quem etiam ad martyrem confugere grande coegit infirmitatis incommodum; quod quomodo vel incurrerit vel per martyrem evaserit, ipse nobis postea, salutatione præmissa, rescripsit sic.

LXXVI.

"Præteritis jam ferme duodecim annis aut eo amplius, quum essem in Sicilia, et vellem transire a civitate Catina § usque ad Syracusam, ambulabam secus mare Adriaticum; —sic enim se protendebat via:—flatus Austri

§ Catania.

cum æstu maris, quod erat in sinistra, inflaturam in pedem et in tibiam meam cum rubedine pessima intulit. Sed in perendinatione quam perendinavi apud Syracusam, fomentis adhibitis et emplastris, convalui; et perfectius, quum reversus Romam illic pharmacia purgatus sum, nec in toto reditu meo in Angliam quicquam ejusmodi sensi. Veruntamen, postquam veni in Angliam, modico intervallo temporis interveniente, rediit inflatura, sed non adeo amara; quam ego sæpius expellebam diversis medicinis. Hic autem annus tertius est sive quartus, ut estimo, quo me morbus ille ita invasit, ut nec potionibus nec extractione sanguinis, quum etiam hirudines * plurimas adhibuissem, nec emplastris nec fomentis nec unguentis pestem sedare potui. Erat enim inflatura magna, ita quod inflatura super pedem spissior quam ipse pes estimabatur esse: sic tibia fere usque ad genu. Emergebant etiam apostemata et infra et extra; ita quod vix sine magno dolore ea tangere valerem: et non in uno tantum sed in pluribus locis: quum autem ab aliquo eorum erumpebat sanies, et videretur aliqua spes sanitatis, ante quam illud siccaretur emergebat aliud æque malum vel pejus. Sic succedentibus sibi pestibus, nulla mihi requies fieri poterat: sic, ubi videbatur tibia plana, emergebant pustulæ pruriginem facientes, sed coeuntes simul carnem a corio nudabant; nec ille dolor parvus. Præterea surgebant vesicæ, ad grossitudinem fere pollicis implebantur, rumpebantur puris amplitudinem emittentes: nec ad remedium hoc, sed ad tormentum. Postremo duo super pedem eruperunt apostem-

* HIRUDINES. Leeches. This passage might be of value to those who would enquire into the state of the medical science about the year 1180.

ata, ut non minimo dolore imponerem pedem in calciamentum vel extraherem. Quid plura? Intellexi morbum esse chronicum nec posse humana manu curari. Dicunt enim physici *Chronici morbi commoriuntur.* Testis est mihi populus civitatis nostræ, quem quum in festis diebus, quando loquebar ad eos, excitans eos pro modulo meo ad sectandam viam justitiæ, quum interessent etiam clerici diversorum locorum Angliæ, prætendebam excusationem standi pro dolore prædicto, et sedens loquebar. In proxima præcedente Quadragesima mœrore tabescebam, quia divinis celebrationibus interesse non potui, sicut solebam; et maxime pro mysterio § Passionis Dominicæ, cujus annua revolutio imminebat. Timebam etenim ne illud celebrare non valerem, sicut mihi incumbebat, et orabam in corde meo Dominum, ut averteret faciem suam a peccatis meis, et exaudiret me, ut saltem his diebus persolvere, Eo donante, possem, quod ad ministerium meum pertinebat; quodque mihi præstitit indigno ipse cujus est salus, ut a cœna Domini usque ad quartam feriam Paschæ * ita mihi moderaretur dolor, quatinus omnia, etiam me mirante et fratribus qui morbum meum noverant, ad votum meum peregissem; quo peracto rediit dolor. Fuit autem mihi in mente, quod ad sepulcrum beatissimi martyris atque pontificis Thomæ visitandum irem, † ex quo martyrii ejus insignia audivi. Quum

---

§ This word is so written in both the Manuscripts, that it is difficult to determine whether MINISTERIO or MYSTERIO was intended by the author.

* That is from the Thursday before Easter to Wednesday in Easter week.

† The Paris MS reads IRE and omits the preceding conjunction QUOD.

autem venissem Cantuariam, pro longitudine itineris et magnitudine laboris ingravatus est morbus, aucta inflatione: procumbens autem ad sepulcrum, oravi Dominum ut meritis martyris suæ me ab illa infirmitate liberaret: oravi martyrem ut pro me interpellaret Dominum: et nesciens me exauditum redii ad hospitium anxius et gemens, quia ignoravi quomodo ad proprium domicilium redire pro nimietate doloris valerem. Venit mihi tandem in mentem, ut de sancta aqua mihi tradita pedem perungerem; et pedem in pelvim ponens in ipsa aqua feci signum crucis super pedem, et super tibiam meam in nomine Sanctæ Trinitatis, et in memoriam beatissimi martyris: et perunxi utrumque. Reliquum feci projicere in ignem, ne pedibus conculcaretur. In crastino quum iter facerem, rediens ad propriam patriam, minoratum sensi dolorem et relaxationem inflationis: quum autem essem in hospitio meo apud Rovecestriam, ¶ cupidus videre relaxationem quam senseram; feci abstrahere calciamentum; et tamen quod senseram visu perspicere non poteram. Fidem inde habens recuperandi sanitatem, iterum perunxi eodem modo. In crastino pergens Londoniam, dolorem amplius sedatum et inflationis majorem relaxationem sensi: et hoc idem extracto calciamento apud Londoniam visu bene percepi. In tertia vero diæta multa facta est relaxatio, et parum doloris sensi. Quum autem ad Oxenefordiam venissem, tanto emenso itinere, quum deberem ex consuetudine de die in diem a malo in pejus proficere, me omnino sanatum inveni, ita quod nullum vestigium apostematum vel pustularum vel vesicarum apparuit; excepto quod aliquantulum ruboris remansit in cute; omni inflatura excussa, omni dolore ex-

¶ Rochester.

pulso, ut non solum ego, qui non sensi quomodo curatus sum, per manum misericordiæ Dei et meritis beatissimi martyris mirarer, sed et omnes, qui antea morbum meum viderant, admirantes Deum glorificarent et beatissimum martyrem ejus. Pedem autem et tibiam multis personis religiosis et aliis volentibus miraculum videre ostendi. In veritate vobis dico coram Deo omnia sic esse sicut scripsi: multa quoque prætermisi ne prolixitate legentes in tædium commoverem. Hoc addo quod omnem laborem et eundi et standi in illa tibia et illo pede æque, et ut sentio melius, tolerare possum, quam in illo pede in quo non erat infirmitas."

Hæc, ut hic posita sunt, rogatus a nobis Prior prænominatus || de se ipso sub festinatione rescripsit, rem potius studens exponere quam verba componere.

LXXVII.

Similem fere per omnia morbum sustinuerat miles de Erlia, nomine Willelmus, annis quasi tribus: erumpebant autem in cruribus suis pedibusque vesicæ magnitudinis nuceæ, coloris tetri, ardoris ignei. Rumpebantur illæ et erumpebant aliæ et aliæ, et miserum misere detorquebant. Ubicunque rumpebantur, decoriabatur caro, pungebatur, urebatur, et tandem obdurata sanie quasi malignitate contegebatur. Quum ergo venisset tempus ut misereretur ejus Dominus, quiescenti in stratu suo juvenis apparuit, et dixit ei "Utquid, Willelme, Cantuariam non vadis? Martyri Thomæ te devove et vade illuc: cave ne aliquatenus id omittas, placeat displiceatve uxori tuæ." At ille, "Ibo, quum Deo placuerit." Excusso inter hæc verba somno ab oculis ejus, repente resedit, et stupefactus vigilantem obstupefecit uxorem.

|| Robert of Cricklade. See page 110.

Sciscitatur illa quid habeat; celat ille et rursus somno opprimitur: et ecce, martyrem contemplatur cominus adsistere, et oculos in se fixos tenentem benigno aspectu quandam impetrandæ gratiæ facilitatem se polliceri; assurgere se estimat sancto et incolumitatem humiliter implorare. Excitatus surrexit; innotuit uxor, suæ, et quid viderat et quod volebat: annuit illa et profectus est.

Die primo vix mille passus perfecit, nec illos tamen pede ssed eques: venit Cantuariam: excubavit in ecclesia, ubi aucto ei præter solitum cruciatu, aucta est et spes sanitatis. Crura duo cerea, § librarum viginti quatuor, obtulit suorum ad instar grandia. In crastino vero quum illum spaciatum deduceremus, omnem evanuisse dolorem confessus est. Denique domum regressus præcepit solvi calciamenta de pedibus suis; et ita se ab impedimento morbis discalciatum ostendit, ut nulla in eo infirmitatis macula, nullæ reliquiæ, nullum vestigium videretur. Nec enim cutem, ut solet, rubor et albedo distinxerant, sed sanatis ulceribus, cute redintegrata, rubore et nigredine expulsis, totum sibi candor continuus occupaverat.

LXXVIII.

Prædicti militis uxorem postea Cantuariæ alloquuti sumus, et interrogavimus qua de causa ipsa venisset. "Gratias" inquit "et oblationes veni rependere sancto pro quodam parvulo meo nondum septenni, qui una dierum a mente alienatus clamare cœpit 'Ecce ubi veniunt, ecce ubi veniunt!' Passionibus subitis frequenter obmutuit: dimissus in eadem verba rursus erupit 'Ecce ubi veniunt, ecce ubi

§ This reminds us of the similar magical processes, alluded to by Virgil:

"Limus ut hic durescit, et hæc ut cera liquescit &c."

veniunt!' Stupefactus est dominus meus; ego attonita; admirata tota familia: volantes omnes accurrimus; martyris imploravimus et impetravimus auxitium. Currens enim dominus meus de vestimentis ejus portiunculam, quam ei vestra contulerat liberalitas, attulit, et in pueri laborantis collo suspendit; qui statim, inclinato super genua paterno capite, modicum obdormuit, et incolumis vigilavit. Euntibus nobis cubitum solvimus a collo pueri quod illum a vinculis amentiæ absolverat. Vix obdormieramus, quum correptus item puer amentia exclamavit, 'Ecce ubi veniunt; ecce ubi veniunt!' Exsilientes a lectis accurrimus; iteravimus medicinam: martyri pro puero spopondimus; mox ad sensum ex integro restitutus est. Ad hoc ergo huc veni, ut martyri solverem quod promisi."

LXXIX.

Celebris nominis clericus Lincolniensis ecclesiæ, magister Petrus Melides, tenebatur magnis febribus, quantas nunquam usque ad tempus illud habuisse sese meminit. In hora accessionis de aqua gustavit, et accessionem evasit. Abiit ergo et prædicavit in populo, quia Thomas esset, qui eum sanum fecit. Ex hoc jam multi, male [se] habentes, venientes ad domum ejus, ut de ejusdem aquæ benedictione gustarent, et sanarentur etiam ipsi a languoribus suis.

LXXX.

Et expulit aqua febres a multis; repressit strumas viscerum, vitaliumque incisionem mitigavit: hydropsin etiam in quodam plene compescuit, et paralysin in alio, ne, sicut jam inceperat, damnaretur, edomuit. Puer etiam trimus papillas matris abhorrens et præ ardore nimio linguam ab ore jugiter emissam tenens, cum stilla linguam

tetigisset, e vestigio refrigeratus ad matris ubera reversus est.

LXXXI.

Febribus etiam acutis decoctus clericus Londoniensis Rogerius quum neque aquam haberet neque Cantuariam morbo prægravatus venire valeret, in quodam loco ubi martyrem dormisse audierat se projiciens, obdormivit. Requiem somni requies optatæ sanitatis statim sequuta est. Collectum ergo eodem de loco pulverem secum asportavit, per quem in aqua sumptum quampluribus incolumitatis administravit lætitiam. Inter tot febricantes saltem de hoc uno specificandum fuit, ut innotescat quantæ virtutis sit ejus sanguis, quum hoc pulvis lecti ejus potuerit. Norwicensis ecclesiæ novit conventus qualiter Guncelino monacho brachium intumuerit, qualiter illud doluerit. Martyris oratione brachium est obvolutum, evolutum tempus permodicum, et totum infirmitatis onus ab eo devolutum.

LXXXII.

Nos quoque non ignoramus qualiter Anfredam Huberti Cantuariensis filiam squinentia tenuerit. Cruentatam martyris pelliciam induit, quæ statim in momento vehementem colli ejus tumorem dissolvit.

LXXXIII.

Civis Londoniensis Salomon fere centenarius extitisse dignoscitur. Et oculi ejus caligaverant et videre non poterant, qui quasi sex annis oculorum lumine privatus, eodem anno, quo lumen Angliæ et cœlum illuminavit et terras, illuminatus est. Ad emendatiorem vitam seipsum composuit, et de Martyris reliquiis oculis apparuit

excœcatis. Vespere clamavit ad Martyrem, et mane exaudivit vocem ejus. Quum enim duceretur mane vir idem ad ecclesiam, aperti sunt oculi ejus, et ait ducenti, "Utquid, inhonesta mulier, coram me sic incedis vestita? vade, induere vestimentis tuis, et noli coram me tenui lino semitecta incedere." At illa obstupescens, "Ergone," inquit, "domine, vides me!" "Video," ait, "et bene video, Domino gratias et novo martyri nostro." Et audierunt vicini et cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illo; et congratulabantur ei. Convenerunt ergo ibi multi Londoniensium ut Salamonem viderent, et martyri multo devotiores effecti reversi sunt, eo quod viderunt eum fecisse hoc signum.

LXXXIV.

Fecit et apud Canteuadone in Essexia admirationis magnæ miraculum et omni laude dignissimum. Erat ejusdem predii domino Willelmo militi filius unicus plusquam decennis, nomine Henricus; qui ab anno nativitatis suæ secundo comedendi appetitu subtracto, vultu marcido et decolorato, mortuo magis quam viventi similis decem annis extiterat. Singulis fere diebus passionibus angebatur, ac si ei novaculis acutis intestina conciderentur. Erat itaque dolor immensus, quod parentes filius ad mortem procederet, quem hæredem ibi substitui desideraverant. Et vidit Dominus afflictionem illorum et gemitum eorum audivit. Accidit enim die quadam quum puerum solito gravius urgeret infirmitas, ut intraret quispiam, qui aquæ Cantuariensis afferret antidotum. Quod gustatum non solum nihil alleviationis visum est, sed plurimum addidisse gravaminis; quumque desperationi esset proximus, et vita ejus in ambiguo penderet, repente vermem semicubitalem

cum putredine multa evomuit. Et mirabantur omnes de his quæ procedebant de ore ejus, et martyrem super potionis efficaciam magnis vocibus efferebant. Puer vero mox obdormivit, sudavit, incolumis evigilavit. Vermis in ecclesia suspensus est.

LXXXV.

Capitis dolor immoderatus venerabili Ricardo de Rokeleia vivendi tædium adduxerat. Annis ferme quatuor medullitus totus deperierat. Duobus annis extremis metu mortis cominus jam instantis, non semel sed septies per hebdomadas singulas ad confessionis lavacrum recurrebat.

Omnem namque diem sibi diluxisse supremum

credebat: qui amicorum edoctus et inductus consilio martyris se voto peregrinationis alligavit. Datus est itaque post votum somnus oculis ejus, et requies temporibus ejus, et evigilans cum somno dolorem excussum invenit. Unde et absque mora liberatorem suum adiit et juxta quod dicitur 'Vovete et reddite Domino Deo vestro,' vota sua et munera reddidit Deo et martyri in conspectu totius populi, in atriis domus Domini, in medio Cantuariensis Jerusalem. Denique morbo eodem ulterius non est tactus, martyris protectus patrocinio.

LXXXVI.

Hugoni de Bello Campo filius erat hydropicus nomine Nicolaus. Distentus per hydropisin venter; genitalia turgentia; manus tumida; pedes inflati; medicis desperationem, dolorem parentibus, omnibus intuentibus horrorem adducebant Non, est inventus medicus, qui puerum curandum auderet suscipere, ne pecuniæ cupiditate parentes nobiles falli viderentur, dum et ab ipsis medici premium

laboris acciperent et ipsum officiosissime interficerent. Omnes ut incurabilem reliquerunt. Ad medicum ergo Cantuariensem preces diriguntur. Affertur filum, ut pueri mensuretur longitudo. Filum inter manus tractantium rumpitur, ruptum corpori puerili apponitur; mensura nec major nec minor, sed apta puero, qui longitudine coæqua reperitur. Mirati sunt singuli de filo, sed de pueri sanitate amplius exhilarati. Totus enim absque medicina carnali detumuit et in brevi medico suo se sanum obtulit.

LXXXVII.

Adæ de Helega, pestis ejusdem intemperantia per longi temporis tractum prægravato, in tantum ut nec sacro Quadragesimali tempore tertiam diei horam jejunus præstolari valeret, non dedignatus est excellentissimus Dei martyr suam in somnis exhibere præsentiam. Adsistens itaque sopore depresso sic eum alloqui visus est, " Adam, dormis? " Negavit ille et ait " Nequaquam, domine, sed vigilo: tu quis est?" "Ego sum" inquit "Thomas Cantuariensis archiepiscopus, qui periclitanti tibi veni conferre remedium. Curari curas?" "Curo," inquit "domine, nihil æque desidero." Visus est ad hæc sanctus pollicem summo vertici infixum in cerebro non absque magna patientis pœna rotare, extractumque quasi tabe albescenti et putredine quadam fœtidissima illitum ostentare et dicere "Ecce, ad plenum curatus es!" addiditque ingeminans "Veni, veni!" Ab illa hora sanissimus effectus; sed quo vocatus esset nuncius, sancti verbis, qui eum vocavit, omissis, propriis vacavit negotiis. Diebus paucis in cura tali expensis, rursus in somnis resoluto apparuit sanctus et ait, " Hicne moraris adhuc? noli tardare; veni quam cito veniendi facultatem inveneris." Exurgens autem vir prædictus presbyterum et ætate seniorem

et consilio saniorem citatione ter iterata consuluit, audiensque se Cantuariam solvendarum gratiarum causa vocatum, paruit et Cantuariæ apparens hæc omnia nobis aperuit.

LXXXVIII.

Supervenit et optimæ indolis juvenis archidiaconi Saleberiensis Rogerii clericus, Joannes videlicet de Capella, et grande nobis de se ipso narravit miraculum. Alteram narium ab anno quarto doluerat obturatam: consultis super hoc medicis, et polypum, carunculam videlicet mortuam quæ nonnunquam in naribus excrescere solet, id esse dicentibus, remedium non invenit. Anni jam quarti finis instabat, quum, ecce, tota illa infirmitatis causa sive materia usque ad intercilium ascendente, præ nimio capitis dolore etiam insaniæ viciniam metuebat. Lecto tandem receptus, manuum, pedum, totiusque corporis sui penitus impos jacebat, adeo ut non se ipsum a latere in latus vertere, non manus vel expansas claudere vel porrigere clausas, non pedes vel protensos retrahere vel ad se collectos protendere valeret: sed quasi paralysi subita dissolutus quinque vel sex diebus sine cibi potusque refectione jaceret. Linguæ duntaxat remansit officium : adlatum est periclitanti de vicinia illa Cantuariensis aquæ poculum : quumque, post peccatorum confessionem et emendatioris vitæ sponsionem, Cantuariam se vovisset iturum et in honorem martyris altare aliquod processu temporis erecturum, aquam ebibit. Mirum dictu, et vix etiam fidelibus credibile, mox ut aquam glutivit, in omnes corporis articulosque singulos sensit eam ad instar glaciei frigidam descendere, rursumque per totum corporis sensum ascendendo et quasi morbum persequendo cerebrum gravissime refrigerare: turbatoque capite solito amplius adeo anxiatus est, ut medicinam illam vitalem ad

mortem subitam sibi cessuram putaret. Inter cruciatus vero anxios sternutans, et in os suum a cerebro quasi aliquid delapsum sentiens, injectis in os digitis, cerasei lapillum extraxit, statimque membrorum omnium recepit officium, et calciamenta postulans calciavit se, surgensque nulla intercurrente mora per domus aream huc illucque cœpit ambulare. Sanus quidem effectus sed ex continuati jejunii gravamine debilitatus, lapillum eundem, ad nos veniens, nobis ostendit, sed inexorabilis secum asportavit.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

INCIPIT LIBER SECUNDUS MIRACULORUM.

PRIMUM LIBRI SECUNDI.

Memorabile præterea, memorandumque de eadem latice Cantuariæ salutifero videtur, quod sicut in infirmis innumeris sanitatem operatus est corporalem, ita et nonnullis martyre donante cessit ad salutem animarum. Jocelini filius Robertus de Springfield in Essexia, miles vitæ laudabilis, virtutum opibus et operibus misericordiæ plenus quum graviter ægrotasset, quendam notum suum de Londoniis, Anselmum videlicet ecclesiæ Sancti Swithuni presbyterum, accersivit. Audierat enim illum de Cantuaria venisse et aquam sanctissimi martyris secum attulisse. Quumque gustato sanctuario commoneretur a presbytero, ut fide

firma sanitatem corporis a sancto postularet, "Absit" inquit "a me, ut absolute remedium hujus corporalis infirmitatis implorem. Conferat mihi Dominus per merita sancti sui et hujus sanctuarii virtutem salutem animæ vel qualem mihi novit expedire." Illius ergo diei residuum et noctis sequentis medium in alleviatione plurima et magna cordis alacritate transigens, labiis oculisque compressis parum quievit. Post paulum expergefactus, viatica et cætera morituro necessaria instanter postulavit mirantibus presbytero præfato cæterisque omnibus qui adfuerunt, et necesse non esse dicentibus, præsertim quum solito videretur hilarior; causamque petitionis suæ diligenter indagantibus, "Vidi" inquit "modo beatum martyrem Thomam, quasi in pomario amænissimo gloriose vestitum, interrogantem me quis essem vel unde oriundus, utrumve gravis esset infirmitas qua teneor. Respondi ad singula, ubique veritate servata. 'Ne timeas,' ait sanctus, 'neque; contristeris quantocius venies ad meam societatem. Quia ergo diutius hic vobiscum morari nequeo in exhibendis mihi quæ morituro conveniunt, nolite moras innectere." Suscepto itaque viatico, quum dixisset "In manus tuas commendo spiritum meum; redemisti me, Domine Deus veritatis," spiritum obdormienti quam morienti similior in manus Domini et martyris emisit. Si quis hoc vel nolit vel non audeat ascribere miraculo, et nostram super hoc non dedignetur audire sententiam, noverit profecto quia dum militis orationem, dum sancti apparitionem atque promissum, dum iterum talem militis obitum consideramus, longe gloriosius nobis apparet miraculum, quam si, sanitate corporali recepta, quam et medici forsitan præstitisse poterant, convaluisset.

II.

Vitæ præterea probatissimæ miles de pago Glocestrensi, et sub habitus militaris specie, Deo potius militans quam seculo, Henricus § Herberti filius de Biselia, adeo coarctato introrsus pectore, quasi phthisis angustia laborabat, ut vitales vix carperet auras. Medicos industrios consulens, et largioribus indulgens expensis, quum intelligeret aggravatam super se manum Domini et quæ * est firmamentum in plaga eorum qui ponunt carnem brachium suum, in toto corde suo convertitur ad Dominum, et orationum verba, quæ propriis non acceptari meritis reformidat, meritis sanctissimi martyris Deo postulat commendari. Amicorum enim consultu propter aquam reliquiarum ejus missum et directum Cantuariam nuntium in Ascensionis Dominicæ vigilia cum aqua recepit. Satagentibus qui aderant ut de sanctuario gustaret, sicut vir tam devotionis quam discretionis immensæ, irreverentiæ malo dicebat esse cognatum, viscera jam cibis distenta, tam sacrosanctis aquis infundere. In ecclesiam igitur vicinam ejus præcepto delatæ in presbyteri traduntur custodiam, ut reverenter ea nocte custoditas reverentius in crastino miles eas susciperet. Qui quum se in crastino Dominicis devote muniisset sacramentis, et sacratissimam aquam in consecrato altaris calice juxta quod rogaverat allatam vidisset, ait presbytero, " Nunc mihi, domine, beati martyris aquam porrige; ea tamen conditionis lege, ut, intercedente eodem glorioso Dei amico, vel infra diem tertium convalescam corpore, vel hodierna die perpetuam consequar salutem in animo." Exhausto itaque quod erat in calice statim quasi voluntatis Domini præscius, jussu proprio ab interioris thalami secreto

§ HENRICUS B. — Rogerius C. * Read QUIA NON EST.

in aulam exteriorem elatus est. Hora jam aderat qua solennis illa et ubique terrarum celebris celebratur processio: quumque voces clericorum in processione modulantium audiisset, ut juxta Christianæ religionis consuetudinem in cinere et cilicio extenderetur, oravit. Renitentes omnes et nullatenus eo quod necdum opus esset acquiescentes, vicit importunitate * et auctoritate § præcepti. In cinere igitur et cilicio positus, hujusmodi fudit orationem. "Domine Jesu Christe, rex gloriæ, qui hodierna die cum ineffabili processione cœlos corporaliter ascendisti, per merita gloriosi martyris et amici tui Thomæ, Cantuariensis archiepiscopiscopi, et aquæ sanctæ virtutem, quam in ejus nomine suscepi, suscipe me hodie, Domine Jesu, ut in processione tua, et in ejusdem martyris tui societate merear inveniri." Dicendi vix finem fecerat, quum statim, nullo intervolante temporis articulo, quasi in somnum dulcissimum resolutus, spiritum exhalavit. Convenerant illuc clerici nonnulli, milites plures, pars plurima plebis, quibus tanto interesse spectaculo divinitus est collatum. Nec satis admirari poterant, quod per invocationem martyris ita subito tam ad voluntatem sit exauditus, quam ad salutem.

Hæc filii sui Thomæ venerabilis clerici relatu cognovimus, qui, Cantuariam vota sua Deo et martyri redditurus veniens, se ipsum a mortis vicinia per martyris invocationem asseveravit ereptum.

III.

Concurrentibus enim in illum infirmitatibus variis, qua-

* IMPORTUNITATE—in opportunitate C.

§ ET AUCTORITATE—om. C.

rum una sola, constipatio scilicet, memoriam nostram non effugit, et in quintam usque septimanam vires ipso deficiente consumentibus, de aqua supradicta gustavit, statimque solubilis effectus et ab omnium valitudinum suarum vinculis absolutus, sanus et incolumis evasit.

IV.

Profecturi ad Sanctum Jacobum * peregrini quum naves conscendissent, et cursu prospero ad portum desideratum appropinquassent, repulsi sunt irruente vento contrario validaque tempestate diebus nonnullis huc illucque fugati. Pluribus igitur diebus variorum ventorum impulsu ventilati, quum, crescente tempestate, spes nulla salutis, nullum superesset vitæ præsidium, iræ Dei merita sanctissimi martyris opponunt; invocant sanctum ut succurrat, ne illos tempestas aquæ demergat, neque absorbeat eos profundum. Vovent se, si eruantur, Cantuariam ituros, sanctumque muneribus et oblationibus honoraturos. Et oravit martyr, ut credimus, pro illis ad Dominum, et exauditus est pro sua reverentia. Alüs enim navibus, quæ in eodem laborabant periculo, subito non comparentibus, ea, quæ se votis talibus obligaverat, ad portum Sandwici prospere impellitur; ubi et ipse sanctus Dei martyr et ad exilium expulsus navem conscendit, § et ab exilio revocatus applicuit. Aliæ vero naves venerunt in altitudinem maris; et tempestas demersit eas. Hi vero exeuntes de navi Cantuariam properaverunt, et vota solventes hæc nobis fideliter, ut credimus, retulerunt; plures etiam illorum cruces, quas, Anglorum more, sancto

* St James's in Spain, a famous place of pilgrimage, in the Middle Ages.

§ See the different biographies of Becket in "Vita S. Thomæ, &c." 2 vols 8vo, Lond., 1842.

Jacobo destinaverunt, liberatori suo Thomæ reliquerunt.

V.

Laborabant alii in æquore, ventorumque flatu subtracto, stabat navis in æquore fixa, æquor æquale, aer immobilis, velum navis immotum. Et clamaverunt ad Dominum, qui producit ventos de thesauris suis, et in orationis suæ commendationem martyris gloriosi merita protendunt: collectam faciunt; cereum sancto promittunt; et irruit repente ventus in vela copiosus, et ad portum eos desideratum prospero curso devexit. Et cœperunt omnes de martyre mirari et dicere quia 'Venti et Mare obediunt ei.'

VI.

De Cestria * miles Willelmus brachium dextrum complicatum nullatenus extendere, nullatenus a pectore valebat elongare. Invocavit martyrem: iter ad ipsum indilate se arrepturum promisit. E vestigio, fugato dolore, perfectaque sibi collata sanitate, brachium libere et expedite extendit.

VII.

Alii cuidam Radulfo de Essexia adeo brachium intumuerat, ut penitus desperato nemo vitam præsumeret polliceri: femur proprium grossitudine vincebat, nec illud ullatenus in aliquam partem flectere poterat vel movere. Hebdomadas circiter quinque lecto detentus, unicum mali tanti remedium mortem præstolabatur. Anxius admodum et nescius quid agere valeret, denarium tandem accepit, brachioque undique signum crucis imprimens, protomartyris

* CESTRIA. Chester.

nomine denarium eundem porrexit egeno: cereum insuper brachium juxta brachii sui longitudinem fieri præcepit martyri post acceptam sanitatem offerendum. Illico dolor aufugit; paulatim tumor ille resedit.

VIII.

Emarcuerat juvencula Londoniensis Ada languore diutino et ad ultimum tam aliena fuerat effecta vigoris, ut nec in lecto sine alicujus ministerio, vel funis sibi superpendentis adminiculo, se ipsam laterum commutatione relevare valeret. Hæc post secundam in somniis admonitionem ad littus Cantuariæ proximum vehiculo portata navali, equo imponitur et manibus alienis super equum retenta, devehitur Cantuariam. Ad occidentale civitatis suburbium perventum est. Audito ibi esse bonæ opinionis et vitæ probatæ presbyterum, reatus suos in auribus ejus deploratura, de equo deponitur. Mirum dictu, quæ, ut prædictum est, absque alterius auxilio insidere non potuit, de equo deposita, in pedes constitit, et cum presbytero usque in ecclesiam processit. Viri autem, qui comitabantur, stabant stupefacti. Depositis igitur coram seniore peccatorum suorum sarcinulis, et ex repentino vigore spe sanitatis sanioris concepta, ad tumbam amici Dei Thomæ properavit, pristinæque ipso eodem die redonata sanitati, gratulabunda recessit.

IX.

Calculi anxietate peribat puer de mariscis Thomas filius Adæ. Urinæ provocanti quoties oportebat satisfacere, clamoribus atque gemitibus miserabilibus ad compassionem audientium corda compellebat. Hic igitur quum inter ægrotos alios una cum parentibus suis martyris implorasset auxilium, oculosque tenuem forte clausisset in somnum, urina cogente

surrexit, egressusque de monasterio, calculum in arenam minutissimam comminutum, absque angustia cum urina simul ejecit: nec aliquam ulterius inde molestiam perpessus est.

X.

Eisdem quoque de finibus mulier Lefseda, quæ oculi dextri cæcitatem plangebat, quum de aqua sancta gustasset, ad locum martyrii ingressa, dextrum recepit sinistro non deteriorem, multa tamen ante perpessa.

XI.

Sed et de Chelemeresfordia mulier Godiva, quinquennio cæcitate damnata, coram sepulcro martyris corruens, radium solarem conspexit; corpora coloresque discrevit; visum tamen perfecte non recepit.

XII.

Illud etiam evangelicum de cæco nato miraculum, qui mirantibus et malignantibus intulit Judæis A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati, ad sepulcrum gloriosi martyris Thomæ et vidimus et testificamus iteratum. Annorum circiter quatuordecim puer a nativitate cæcus, Gaufridus Livinæ de Chealgrave filius, Cantuariam ducatu et auxilio venerat materno. Tactis oculis suis pretioso martyris cruore, et nocte sequenti incredibiliter intumescentibus, tanta sanies emanavit, ut qui quantitatem veraciter velit assignare, veritatis metas forsitan videatur excedere: quod et aliis innumeris, tam sanis, indignis ad cruciatum, quam infirmis dignis ad sanitatem, evenire conspeximus. Post tertium vero diem, quum, compresso tumore, oculos adhuc sanguine condensato rubentes aperuisset, quicquid oculis suis præjacebat, se videre manifestis comprobavit indiciis. Varios

tamen rerum colores licet oculis perspicue videret; nominibus propriis, excepta duntaxat albedine, nescivit distinguere. Qua vero ratione solam eam cognoverit, non invenio, nisi quod lux et candor, sicut amor et gaudium, similia humanæ naturæ cognata videntur, et animæ naturaliter amica. Unde forsitan reliquorum colorum minus naturalium minusque placentium habens ignorantiam, solius albedinis placentis notitiam videtur facilius potuisse concipere. Sanguine igitur paulatim evanescente, melioratus cum gaudio plurimo tam matris suæ quam suorum, domum repedavit.

XIII.

De Tanatos insula Wibertus filiam suam parvulam martyri et attulit et obtulit erigendam. Erant ei dextri pedis digiti omnes contracti, plantæque suppositæ. Baculo potius se portabat quam pedibus : plantæ usum summitas cratis habebat. Ante sepulcrum projicitur: tenduntur nervi; digiti eriguntur. Erectis igitur perfectissime digitis exiliit, et plantam, qua nunquam solum contigerat, solo licet adhuc minus solida fixit. §

XIV.

Instabat jam magnus ille dies festivitatis, in quo et igne cœlesti Mons Sion incanduit, et super Christi discipulos Spiritus Sanctus in igneis linguis descendit *; O diem lætitiæ, quem nobis non solum festivitatis celebritas, sed et miraculi præcurrentis similitudo reddit lætiorem ! Non enim sustinuit Domini Jesu benignitas miraculi tanti gloriam usque in diem festum protelare, sed diem gloriæ cum ipsa

§ In the Lambeth MS. the second book here ends with the words, EXPLICIT LIB. IIus : INCIPIT IIIus.

† The day of Pentecost : Whitsunday.

diei gloria præveniens, misso super sancti sepulcrum cœlitus igne, et illorum apostolorum condiscipulum et cohæredem miraculi similitudine ostendit, et mœrenti adhuc Ecclesiæ gratiam novæ consolationis adjecit. Duobus diebus continuis ecclesiam clamore compleverat civis Cantuariensis Elfwardi filia, cadens in terram et seipsam nescientem allidens. Ablata tandem per invocationem sancti infirmitate, quam habuerat, oblationis quam non habebat, stetit sollicita. Miserta est ejus matrona quædam, quæ casu pertransiens ceræ modicum in manu portabat, extractumque a sinu suo filum acus retortum duplicavit. Duplicato ceram copiose circumdedit, præstans virgini quod illa offerret martyri. Accensa candela ex considentis monachi præcepto, in medio sepulcri figitur comburenda: sed mutat ejus propositum miraculi subsequentis lætitia. Mox enim ab opposita fenestra ventus tenuis irruit, et inter alia circumjacentia luminaria, solam puellæ candelam extinxit: cujus et spissior erat cera et lichinus exilior: ceræ siquidem copia, lichinique tenuitate non apte satis adinvicem sibi respondentibus, et ardere vix poterat, et de facili valebat extingui. Linum fumigans monachus intuitus, accito ministro, "Videsne," inquit, "puellæ candelam extinctam? reaccende illam. Accelerante illo, dum se de his quæ habebat in manibus cupit expedire, sine ministerio humano reaccensa conspicitur. Interfuit huic gloriosæ visioni non dico vir unus, sed populus, qui candelam ita extinctam viderat ut fumum copiosum in altum porrigeret: quam jam divinitus ita videbat reaccensam, ut longum admodum crinem flammæ produceret. Et licet, ut prædictum est, exilis esset lichini, ceræque spissioris, tanta illam celeritate ignis idem consumpsit, ut vix inde modicum eriperetur. Extincta est autem quantocius ut vel aliquid de ea remaneret,

ne et ipsa simul amitteretur et ignis. Dicant nunc proditores ille et parricidæ, qui eum proditionis accusantes peremerunt, ubi unquam vel legerint vel audierint proditorem vel criminosum aliquem tali clarificatum miraculo. Super filios Aaron, Nadab, et Abiud, ignis quidem a Domino descendit, sed devorans non coruscans. In murmuratores in Deserto ignis Domini accensus est, sed extinguens non vivificans. In Choræ fautores ducentos quinquaginta ignis cœlestis occidit, sed universos occidit. Quinquagenarios duos sub Helia ignis de cœlo circumdedit: sed prostravit, non illustravit. Circumfulsit Saulum lux de cœlo; sed excæcavit, non illuminavit. Super Thomam vero ignis a Domino descendit, non quasi super criminosum ad pœnam; sed ut super innocentem ad gloriam. Cessent igitur maligni gloriosum Dei amicum vel mortuum persequi, et ex miraculosis operibus innocentiæ sive claritatem et caritatis fervorem perpendant. Quid enim lux super lucem descendens innuit, nisi extitisse martyrem lucis filium, lumen universalis Ecclesiæ, spiritus Sancti habitaculum, in quo flagraverat ignis, quem venit Dominus in terram mittere? Hoc enim et super Thomam nostrum significasse videtur, quod dudum super Martinum * mirabilem: nam et super Martinum quædam lux cœlestis apparuit; sed adsistentem altario, non in sepulcro jacentem. Martinum Dominus tantum semel hujusmodi donavit gloria; Heliam secundo; Thomam nostrum quarta ejusdem miraculi iteratione privilegiavit.

XIV.

Secundum namque Pentecostes diem simili modo martyr

* MARTINUM. See the Acts of St Martin.

nobis secundavit; lumenque cœleste, quod ante perdidisse doluimus, et conferre nobis dignatus est et conservare. Adolescentulæ virgini patre Baldwino de Wi progenitæ, Godithæ, graviter infirmanti, eo die sanctus solitæ miserationis munus impendit. Erant autem prædictæ virgini candelæ binæ accensæ, altera in pavimento jacens, altera parieti affixa. Quum ergo corpore debili, gressuque labanti, non posset consistere, in terram collapsa, in pavimento jacentem extinxit. Surgens ut extinctam reaccenderet, manibus tremulis, etiam parieti affixam dejecit. Privatos lumine glomos manibus ambabus arripuit, et ad multitudinem quæ confluxerat conversa, "Væ," inquit, "mihi miseræ: ecce candelæ meæ ambæ extinctæ sunt!" magisque turbata, quod in omni turba nihil luminis intueretur, sororemque suam germanam longius in templo contemplata, "Nonne vides," inquit, "soror mea? accende candelas meas." Negavit illa, timere se asserens et illius contactum, et ad illam accessum; at illa gemebunda et querula, "O," inquit, "Domina dulcissima virgo Maria, O sancte domine Thoma, Christi Jesu martyr, quid actura sum? ecce candelæ meæ extinctæ sunt." O martyris benignitatem! O pietatem mellifluam! vere oculi ejus super afflictos et aures ejus ad preces eorum. Dum huc illucque puella respiceret, et ad candelas inter gemitus querulos lumina retorqueret, igne novo incanduit utraque: turbamque multam, quæ convenerat ad diem festum, hujusque miraculi gloriam fuerat contemplata, respiciens, "Vidistis," inquit, "domini mei? ecce candelas meas beatus Thomas martyr accendit." Difficillimum esset relatu quanta omnibus fuerit exultatio, quas lacrimarum effuderint imbres; quantas Deo gratias exsolverint. Flexis genibus et manibus erectis, dant gloriam Deo, et post gratiarum actiones multimodas, per universam civitatem Cantuarien-

sem, gaudium suum cæteris communicaturi, dispersi sunt. Accensa sunt illo igne cuncta Ecclesiæ luminaria. Candelæ partim repositæ, partim divisæ petentibus. Per omnia benedictus Dominus, cujus ignis est in Cantuariensi Sion et caminus ejus in cœlesti Jerusalem.

XVI.

Duplicavit enim statim in eodem momento gratiæ munus quod dederat, ut fieret subsequens miraculum confirmatio præcedentis. Gregatim ad § ignem novum ruente populo, ut pignus cœleste secum ad propria reportarent, * occurrens inter alios mulier, accensa candela, focum inde accensura domum remeavit. Ventum est ad ecclesiæ januam, et impetu venti lumen, quod ferebat, extinctum est. "Sancte," inquit, "Thoma martyr, adjuva: lumen perdidi, quod ferebam." Vix sanctum invocaverat, quum repente flammam nutu Divino recepit. Adstitit rei hujus testis optimi testimonii presbyter Fredericus; clerici nonnulli; laicorum multitudo non parva. Sed et de reliquis candelis, in quas advenit ignis Divinus; testes habentes innumeros, propter nominum barbariem ¶ scripto ipso commendare omisimus.

XVII.

Tertium quoque Pentecostes diem idem signum nobis coram insignivit. Alanus quidam cum parvulo, quem

---

§ This passage is perhaps the most striking in the whole work as an illustration of the real nature of the miracles of the Middle Ages.

* UT .... REPORTARENT, — et .... reportante, C.

¶ Another instance of the impediment which lies in the way of our better knowing the vernacular names and surnames of our ancestors, from the universal use of the Latin language.

contractum attulerat, sepulcro martyris assistens, orabat. Tenebat puer in dextra candelam, quæ ne forte de pueri manu laberetur, supposita pater manu ejus propria, debilitatem manus puerilis adjuvit. Casu candela eadem extincta est. Stabat vir sine lumine juxta lucernam Angliæ. Quasi momento de lucerna nostra lux egressa est, extinctamque candelam ignis novus illuminavit. Ita in Paracliti spiritus Sancti festivitate, quater per ignem respectos Paraclitus lætificavit, concordantibus pulcre cum festivitate miraculis.

XVIII.

Sed et infirmis, diebus eisdem gratia curationum non defuit. Annos circiter duos atque dimidium, miseros Gunhildæ artus de villa, quam Elfsiestum Angli appellant, ægritudo gravis miserabiliter depaverat. Tandem vero tota morbi materia in pedes devoluta, nec aliquatenus incedere nec momentum stare vel super plumam poterat. Pedum etenim plantas teneras adeo, plenasque dolore habebat, ut ad tactum etiam levissimum obstupescerent. Lecto itaque recepta, mensibus sex vitam miseram in continua quadam morte transegerat. Hæc ad locum ubi martyr morte temporali vitam mutavit eternam, a duobus servientibus allata est. Aliquandiu ibidem quiescens, orationibus institerat, quum ecce repentino reparata vigore in pedes surrexit; convolantibus ad eam vernaculis suis, ne non sustentata corrueret, "Discedite," inquit, "et me mihi dimittite: ad domini mei sepulcrum pedes ire tentabo." Quo quum lento quidem et debili gressu venisset, et residentibus nobis ibidem infirmitatis suæ testes produxissest, oratione facta, etiam ad hospitium suum longe remotum gressu solidiore perrexit. Convaluit igitur et abiit.

XIX

Eustachii conjux de Meallinges * Albreda in latere læsa fecerat abortivum; lectoque sese recipiens, quasi anno uno languoris emarcuit. Postea licet surgendi facultate redeunte gauderet, tam cordis defectus quam corporis anxia, ire non poterat. Ad locum allata martyris cruore sanctificatum, in orationem se dedit. Surrexit incolumis, et recte solideque incedens, nobis, qui eam et vidimus et alloquuti sumus, nullo se infirmitatis vel debilitatis incommodo pulsari confessa est.

XX.

In cophino etiam singulis afferebatur diebus juvenis Cantuariensis Elmerus, § quem ab umbilico et infra paralysis totum dissolverat. Non nisi dimidius vixerat fere biennio. Ferro candenti si forte partes mortificatas transfigeres, immutato vultu perseverantem videres, nec ullis indiciis molestiæ quicquam se perpeti comprobantem. Impositi sunt aliquandiu pedes ejus et in ignem; sed nec impositos extraxit, nec ardorem expavit. Aiquot itaque, ut dictum est diebus in cophino ad sanctum allatus et in marmoreo ecclesiæ pavimento allocatus, paulatim membrorum motum suscepit et usum: et statuit martyr supra petram pedes ejus et direxit gressus ejus; qui primo quidem ex languore diutino debilis, baculos iu auxilium sumpsit, quos in brevi roboratus, corroboratori sui reliquit. Immisit ergo Dominus in os populi canticum novum, carmen Deo nostro. Viderunt enim multi et timuerunt et speraverunt in Domino.

---

* MEALLINGES Malling in Essex. § ELMERUS—Ailmerus C.

XXI.

Eilwinus de Berchamstede, * renum pressus femorumque dolore, quum tandem ad omne opus inutilis, sui ipsius impos esset effectus, annis non minus sexdecim duobus baculis totus innixus incedebat. Dorso curvo varicosum putavimus; erat enim inclinatus nec omnino poterat sursum respicere. Involutis tam corio quam pannis baculorum suorum summitatibus, ne sibi vel decoriarentur vel læderentur ascellæ, diligenter præcaverat. Ne baculi usu assiduo prorsus attererentur, ferro contexerat extremitates. Annis autem, ut prædictum est, plus minus sedecim, sine omni miseriæ suæ remedio evolutis, quum vidisset plurimos a memoria martyris laude et memoria dignissima redire incolumes, quos illuc perrexisse noverat ægrotos et debiles, cum aliis iter arripiens, Cantuariam licet diætis imparibus tetendit. Pervenit tandem ad locum, et ante loculum flexis, prout poterat, genibus, ut inflictam sibi pro peccatis suis evaderet infirmitatem, Deum studuit et martyrem tam oblatione, quam oratione complacare. Vix posita oblatione a solo surrexerat, quum toto corpore tremens iterum solo prostratus est, statimque resurgens absque baculo constitit in pedes erectus. Quod quum præsens aspicerem, tam illum quam alium ægrotum ejusdem vicinum, de quo consequenter subnectam, a turba seorsum ducere curavi uni adhuc baculo quum incederet innitentem. Modicum in oratione jacuerat, quum accito puero baculos beato martyri tradidit portandos: ipse præcedentem puerum baculosque ferentem manibus in cœlum erectis subsequutus est. Quod videns omnis populus, flexis genibus in terram prosternitur,

* Berkhamstead in Hertfordshire.

in lacrimas uberes resolutus præ gaudio. Relictis igitur sancto cum gratiarum actione baculis, sanus et incolumis gaudensque recessit.

XXII.

Habuerat autem quendam vicinum suum itineris sui comitem Walterum, qui caligantibus oculis uxoris ductu venerat. Membra illi genitalia in tumorem immensum evaserant, et vitam in mortem quandam decennem porrectam duxerat invitus. Auxilio destitutus humano, confugit ad Divinum. § Deum, qui non quantum, sed ex quanto detur, attendit, in martyre suo qua poterat oblatione honorans, sicut vicino suo prædicto comes fuerat in labore itineris, sic factus est et in gaudio restitutæ sibi sanitatis. Etenim tam visus recuperati particeps quam doloris expers amissi, etiam tumorem membrorum detumuisse confessus est. Ut ergo breviter sit dicere, hi duo egeni, simul ad sepulcrum venientes, simul corruentes in terram, simul surgentes, simul miseratione Divina curati, simul cum gaudio magno recedentes; omnes nos, qui aderamus, et rei hujus testes existimus congaudentes, immo præ gaudio complorantes reliquerunt. Ambos postea vidi, non ut prius pannosos, sed validæ virtutis homines et ben vestitos.

XXIII.

Septennis puellula de Folkeston Widemanni filia, utriusque manus digitos ad digitorum radios habens inflexos, manibus alebatur alienis. Nervis enim a nativitate contractis, nunquam sibi cibum manibus propriis administra-

§ Instead of AUXILIO .... DIVINUM, the Lambeth MS. has as follows: "Hominibus incurabilis, martyris curam deposcit."

verat. Impositam equo pater ad sanctum attulit; et in medio ecclesiæ collocatam Deo et martyri attentius commendavit. Die sequenti manuum digiti omnes erecti sunt, medio dextræ duntaxat excepto, quem virtus cœlestis aliquantulum curvum reliquit. Præcaverat autem pater per peccatorum suorum confessionem ac satisfactionem congruam, ne peccatis propriis vel puellæ præpediret sanitatem, vel ne habitam super ea tanto tractu temporis tristitiam non evaderet.

XXIV.

Sic, sic Omnipotentis miseratio per beati et gloriosi martyris sui merita, animarum potius providet saluti quam corporum. Jam enim vix aliquis vel ad sancti sepulcrum quicquam petiturus accedere, vel etiam portas Cantuariensis ecclesiæ præsumit intrare, nisi prius in fonte confessionis et lacrimis propriis rebaptizatus emendationis vitæ se futurum esse promiserit. Audemus procul dubio in verbo veritatis asserere multos multorum annorum curriculos criminalibus implicitos absque confessionis medicina spiritualiter ægrotasse, qui ob martyris reverentiam, antequam ad sanctissimum ejus corpus auderent accedere, vitæ veteri et vitiorum tenebris renunciantes, ad innocentiæ lucem per confessionis viam confugerunt. Quod vel breviter tetigisse non ab re esse videtur; quia quanto anima pars est hominis potior, tanto constat curationem ipsium gloriosius esse miraculum.

XXV.

Inter eos, qui oculos habentes non videbant, Livenam, Godrici conjugem de Leftstanestun, * vidimus ita perspicue

* LEFTSTANESTUN—The Paris MS. has Lestanestune.

detersa cæcitate videntem, ut nobis coram per foramen acus angustum tenue filum traduceret: quod etiam nonnulli vel curiositatis vel lætitiæ causa sæpius iterari fecerunt. Manus etiam horrendum inflatas, subsidente tumore, tenues et exiles reportavit.

XXVI.

Sed et Londoniensis quidam Robertus, qui quadriennio nec solum nec solem fuerat contemplatus, a lumine nostro lumen obtinuit, et quidem de oculo dextro dextre, de sinistro sinistre sibi successit: nam illo illuminato istum qualem attulit, talem retulit.

XXVII.

Indifferenter contigit puero, de Mariscis Henrico, * Heliæ filio, venit oculo cæcus utroque, alterius visu † remeavit.

XXVIII.

Volutabatur cum aliis in ecclesia clamans et ejulans, Aviza de Gosehale Ordgari filia pelliparii, quam in hanc lucem mater utrinque claudam produxerat. Cessante dolore, quem ex nervorum extensione sustinuerat, erectam se anhela voce confessa est. Testes infirmitatis ejus quærentes, duos fideles invenimus, et quia fide digniora sunt quæ comprobat visus, quam quæ auditu percipiuntur,§ huc illucque per aream jussa decambulare nihil nobis reliquit ambigui. Erat autem puella ætatis jam nubilis, annorum quasi sedecim.

---

* This boy's name would be Henry Marsh, in plain English. The author of these miracles generally places the surname first.

† A word seems wanted here.

‡ Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.
HORAT. Ars poetica, 180.

XXIX.

Venit et de Stratfordia mulier Godiva, facta sicut homo non audiens. Audiebat autem sonum in capite, quasi sonum tonitrui magni, qui omnem vocem omnemque sonum ab auribus illius excludebat. Capitis dolorem ad unguem describere nesciebat. Infusa est in aures surdas aquæ stilla, omnimodæ infirmitatis expulsiva. Ad tumbam paululum oranti præcedentis doloris sufficiens perfectumque remedium divinitus est collatum: auribus ad usum restitutis, et capitis reformata quiete, sana est reversa, dignam dignæ devotionis et fidei reportans mercedem.

XXX.

Sed quid magni esset, si sanctus diligentes se diligeret? hoc etenim et Ethnici faciunt et publicani. Angusti sinus est caritas, quæ sic admittit proximum, ut inimicum excludat; melliflua vero piissimi patris nostri Thomæ benignitas æmulos suos non solum patienter sustinuit, et enutrivit ad pœnitentiam, sed et piissime convertit et admisit ad gratiam. Thalami regii ostiarius, Robertus de Broc, † ejusdem cognominis fratrem habebat Willelmum, qui, febribus validis ab anno quarto membra depastus, viscerum insuper gravi vitaliumque torquebatur incisione, acsi novaculis acutis in minutias concideretur. Radicato in eo morbo, non assiduo sed frequenti laborabat lecti fastidio, nunc tribus nunc quatuor aut quinque septimanis, nunc anni spatio jacens continuato. Sed et pectore et ventre in tumorem insolitum excrescente, nullius medicamenti sensit efficaciam. Certi-

† The De Brocs were personal enemies of Becket, whilst he was alive, and actually assisted at his assassination.

ficatus denique super miraculorum gloria, quibus Dominus sanctum suum mirificavit, compunctus est corde, quod ei vel in carne vel post carnis depositionem glorificato derogasset. Cantuariam, ut satisfactione sanitatem impetraret, properavit. Hausto latice salutari, vix ad hospitium fuerat reversus, quum morbi materiam, viride variique coloris virus evomuit. In crastino iterum eadem usus medicina, ejusdem efficaciæ gratiam experiri promeruit. Tertia vero die sumptam aquam, nausea cessante, retinuit, pristinæque sanitati redonatus, nemini malignantium hæc se negaturum esse promisit.

XXXI.

Mirabile quiddam ante narrasse debueram ; nunc tandem ad memoriam reducens subnectam. Mane prima Sabbati surgens Rogerii cujusdam Saresberiensis filius Ricardus exiit de villa Saresberiensi Merlebergam ‡ iturus, ferens avunculis suis et amicis nuntium de morte materna. Urbem egresso anus occurrit, eleemosynam postulans. Comparaverat autem puer panes duos minuto uno ; quorum altero prolato dimidiavit eum pauperculæ, et procedens quasi millia quinque obvios habuit in planitie grandi viros tres statura proceros, habitu quasi eremitas staminiis albis vestitos. Medius autem illorum, reliquis paulo eminentior, canos habebat paucos et in manibus vas æreum cruore plenum portabat. Quos puer ut vidit, extimuit et inhorruerunt pili capitis ejus, maxime quum sanguinem advertisset. Suspicabatur enim quod hominem aliquem interfecissent, eo quod vasta valde erat planities, et locus longe ab hominum habi-

‡ MERLEBERGAM. Marlborough in Wiltshire.

tatione segregatus. Videbantur vero personæ valde venerabiles et religiosæ; maxime qui sanguinem ferebat; qui etiam solus puerum alloquutus, unde vel quo pergeret percunctabatur. Addit et ait "Panemne portas?" "Porto," inquit, "domine." Tum ille "Partem ergo nobis porrige." At puer reverendum loquentis vultum intuens, reverentiam ei, qualem potuit, exhibuit, et integrum ei panem porrexit. Tunc ille, qui loquebatur, "Nolo integrum; sed illam panis medietatem, cujus comparem vetulæ hodie mane dedisti." Hæc admiranti rursus unde admiraretur magis intulit. "Meministi quid tibi nocte ista in somnis fuerit ostensum?" Respondit puer obstupefactus "Bene memini." Viderat autem in somnis angelici vultus juvenem ducentem se, sibique, quasi super murum excelsum collocato, et tormenta gehennalia et deliciosam Paradisi mansionem ostendere. Hæc puer et se reminisci aiebat, et illum non ignorare mirabatur. Animosior tamen factus interrogavit eum qui se interrogaverat; "Quid est, domine: quid portas?" At ille "Sanguinis beati Thomæ Cantuariensis archiepiscopi"; adjecitque dicens ad puerum; "Ne procedas, fili, sed quantocius revertere, et dic decano canonicisque Saresberiensibus, ut circa urbem processionem faciant. Si facere noluerint, sciant tempestatem maximam super villam esse venturam." Quumque puer abiret, "Vade," inquit, "cito, et cave ne respicias retro antequam stadio uno a nobis fueris elongatus." Respexit igitur puer, postquam stadii iter confecerat, et solum se in tota illa planitie invenit; et longe lateque circumspiciens, neminem videre potuit, quum nec homuncio illum latere posset, etiam in quinto vel sexto milliario constitutus. Et in hoc quoque super omnia miratus rediit, canonicisque quæ viderat et audierat enarravit, et crediderunt ei. Hæc primis miraculorum diebus facta sunt,

Dominica videlicet ante Ascensionem Dominicam, quæ prima fuit post martyris passionem, * antequam sanguis et aqua martyris in longinquas regiones deferrentur; quæ qui voluerit adscribere miraculo adscribat. Mihi autem, quantum perpendere valeo, videtur per sanguinem, quem tres viri illi ferebant, potuisse significari Cantuariensis agni cruorem passim per orbem terrarum, sicut impræsentiarum cernitur, esse circumferendum; quippe in brevi multiplicata sunt valde miracula, martyris fama longe lateque vulgata, et aqua illa cum sanguine per omnes Angliæ regiones deportata.

XXXII.

Hauriebant autem omnes in gaudio aquas de fonte nostro salutari, domumque secum in vasis ligneis fictilibusque reportabant. Accessit in multitudine juvencula de Derrente Livena, pyxidem proferens, haustumque salutiferum infundi deposcens: frater vero, qui ea hora miscebat infirmis, quum sublevasset oculos, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, aquæ jam jamque deficientis penuriam timens ac præcavens, solito parcius singulis dividebat. Juvencula itaque præfata, portione aquæ in vase suo suscepta, institit ut amplius acciperet: negante illo, et ad alios singulos intendente, surripuit illa furtim quod ille negaverat; cyphumque, quem proximum sibi vidit consistere, latenter assumens, quod habebat liquoris in vasculum suum transfudit. Non citius aquarum pium furtum pyxidem contigit, quam fissa coram omni populo pyxide, et gratis sibi collatos et furtivos amisit. A monacho correpta graviter ingemuit, et vas

* Becket was murdered on Tuesday the 29th of December in the year 1170. Ascension day 1171 was Tuesday the 6th of May, and the following Sunday was the 9th of May.

idem cum cæteris similiter confractis suspendendum relinquens, tristis valde ploransque recessit, super eventu tali non minimum confusa.

XXXIII.

Longe majoris aut certe æquipollentis verecundiæ causa cuidam conscholastico meo contigit; quem et scientia literarum et morum commendat elegantia. Verum

nihil est ab omni
Parte beatum. *

Non est enim homo qui vivat et non peccet, quum et justus septies cadat in die: omnes quidem peccaverunt, et egent gloria Domini Dei. Unde ne mihi quæso indignetur, qui hæc non ad suam confusionem scribo sed ad martyris gloriam, maxime quum, si quis dicat peccatum se non habere mendascit et veritas non sit in eo. Is igitur juvenis aquam in pyxide susceptam ante altare juxta sepulcrum in manu tenebat; sed super oram vasis ebullientem retinere vel castigare non poterat. At monachus, qui aquam infudit, "Repone," inquit, "super altare pyxidem: videtur a te nolle teneri." Reposuit, et confestim aqua subsidit: tunc ille tergens desiccansque pyxidem exterius, interius, operculum accepto in manu sanctuario recessit: sed transitum liberum per mausoleum martyris non invenit. Vix enim binos fecerat passus aut ternos, quum aqua rursus de pyxide exiliit, et facta est quasi olla fervens, quæ quiescere non potest. At monachus, "Quid est hoc?" inquit, "unde venis? Estimo in loco minime bono fuisti. Aufer vas de manibus tuis." Repositum est iterum super altare, stetitque unda effluens et siluerunt fluctus ejus. Tertio, clericus vas diligenter conversum et desiccatum arripuit, et ad med-

* HORACE.

ium tumbæ lento gressu pervenit: et eruperunt aquæ et fluxerunt in abundantiam impetuosius longe quam vel primo vel secundo fluxissent. Revocat abeuntem monachus ut pyxidem referat; qui audire contempsit, et progrediens viro a quo eam acceperat, reconsignavit. Vix in alterius manum venerat quum omnis aquæ impetus conquievit, et intra pyxidem aqua sese cohibuit. Et admirati sumus universi causamque prodigii non invenimus: certam tamen constat causam extitisse, quum sine causa nihil fiat in terra; nam et causa fuit, et satis manifesta qua in manu prædicti monachi non minus jucundum evenit miraculum, qui quum monachum prætaxatum derisisset, non multo post etiam ipse in risum omnibus factus est.

XXXIV.

Erant jam ex aquæ contactu vasa multa valde confracta, et in pariete in signum suspensa. Et primis quidem miraculorum diebus amplius findebantur: processu vero temporis minus. Tenebat ergo pyxidem frater prædictus in manu, quam ei modicum fissam mulier quædam reliquerat, et secum hæc tacitus cogitabat: 'Quid est quod martyr virtutis suæ gloriam solito minus ostendit, et potestatis suæ vires solito remissius exercet? Primi temporis pyxides hiatu stupendo cunctos in admirationem agebant: divisæ sunt nonnullæ in partes; nunc autem rimæ vix ad acus vel straminis patescunt grossitudinem. Utquid hæc suspenderetur cum cæteris? si sancti eam aquæ ut alias fidissent, digna fateor esset in aliarum numero inveniri. Mihi remanebit; nequaquam suspendetur: nonne pulcra est valde et erit mihi ad aliquid necessaria: minime suspendetur propter fissuram tantillam.' Dum hæc secum tacitus volveret, excussa est repente Divino quodam impulsu de manu ejus

pars pyxidis inferior, quam supinando fecerat superiorem, ipso retinente operculum, longiusque super stramenta corruens, tantum sonitum dedit ut stupens et tremens frater ille, simul cum cæteris qui aderant, etiam operculum velocius projiceret in terram ac diceret " Væ tibi, diabole; de adversa parte es! " tandemque licet sero elevata de terra inventa est a summo usque deorsum hiatu patere mirabili. Sciscitati sumus igitur fratrem quid egisset, quod factus esset quasi unus de populo? Reformidans ne profundioris mali haberetur suspectus, cupiditatem suam, si tamen cupiditatis nomine censenda est, omnibus exposuit. Hoc ergo miraculum tam joco et risui multis extitit quam admirationi.

XXXV.

Tædiosus ero lectoribus, si singula vasa confracta singulis distinguantur capitulis. Ut igitur ad dissimilia fiat progressus, necessarium est breviter multa perstringi: alia findebantur: alia dividebantur in partes: de aliis aqua vel superius vel per oram vel per medium integri ligni ebulliebat: in aliis subito evanescebat. Multi probaturi utrum pyxidum confractio ascribenda esset miraculo, alias repletas aqua tota nocte tenebant: sed ad aquas sanctas venientes et aquas amittebant et pyxides. In multarum quoque confractarum operculis specula mulierum invenimus; pyxis etiam buxea in aquæ contactu integra remanere non potuit. Erat itaque omnium ad aquas accedentium timor non modicus et sollicitudo magna, ne vel aquas quomodocunque subtractas amitterent, vel in subsannationem et derisum fierent. Intuentibus tandem vero ut specialis et maxima confractionis causa in hominum veniret notitiam, et Dei martyrisque voluntas cunctis innotesceret, incidit in cor

juvenis ut faceret ampullas plumbeas et stanneas opere fusoris, et cessavit confractionis miraculum; et cognovimus fuisse in voluntate Divina, ut portarentur Cantuariensis medici ampullæ per totum orbem terrarum, et signum ejus in peregrinis suis et in curatis suis mundus universus cognosceret. Priora enim vasa sub vestimentis suis ferebant abscondita, ampullas autem in propatulo a collo suspensas.

XXXVI.

Tamen et in ampullis aliquorum aqua evanuit. Vir enim in territorio Bedfordensi roganti pauperi partem aquæ negavit; idem in crastino, quum diviti cuidam roganti aquam vellet impertiri, vas quidem signatum invenit sed vacuum. Sed quia vir idem nec ad nos rediit nec ampullam remisit, licet a quodam venerabili milite, cui hoc ipsum vir ille confessus est, acceperim, malo præterire quam asseverando scribere.

XXXVII.

Occurrit alii ampullam eodem sanctuario plenam portanti quidam egenus, partem sibi petens impendi; aperuit vasculum quod plenum esse putabat, et vacuum illud reperit. Idem alii cuidam aquam roganti vas ipsum vacuum ostensurus, invenit plenissimum.

XXXVIII.

Tertius quoque duas plenas asportans apud quendam martyris æmulum hospitatus est nomine Simeonem; quas ille quum vidisset in poste domus suspensas, "Quid" inquit "in ampullis attulisti?" "Aquam," inquit, "beati Thomæ martyris." Subjecit martyris æmulus verba derisoria, et ait, "Præbe mihi alteram ut infundam in lacum meum; pingues-

cent et multiplicabuntur pisces, et aqua lacus sanctificabitur, nec erit vicinis nostris necesse vexari ut Cantuariæ hauriant." Quo dicto quum ampullas arripuisset, sicut primam vacuam invenit, ita et secundam humoris expertem. Hæc idem martyris æmulus sacristæ Cantuariensis confessus est ecclesiæ, a decano Simone patruo suo compulsus.

XXXIX.

Gynildæ de Hameledene Willelmo Henrici filio desponsatæ a primi partus tempore venter vehementer diffusus intumuit, ita ut iterum et prægnantis ei grossitudo et parturientis ei angustia rursus videretur inflicta, nec ut momentaneus aliquando saltem vel tumor vel dolor evanuit, sed in ea radicatus et fundatus annis cum ea multis consenuit. Potionibus tamen et medicamentis variis multoties castigatus est non effugatus. Quum vero medicus qui curam ejus ageret humanæ conditionis onus deposuisset, adeo se tumor egit distincte et indefatigabiliter excrevit, ut sedentis uterus pene protuderetur ad genua. Missum est igitur Cantuariam, et de illa inauditæ virtutis aqua sibi reportatum gustavit mulier, statimque alleviata ad sanctum peregrinationis iter atque laborem arripuit; Cantuariæ constituta postquam ibi primo de sanctuario gustaverat, vomitu frequenti et inopinato fluxu venter ejus subsidit; lætificavit eam plurimum alleviatio; sed plus eam puduit solutionis; adeo ut verecundia fœmina venisse se Cantuariam pœniteret. Sicut enim mulieribus inhonestis nihil impudentius, ita pudicis nihil verecundius: volentem in ecclesia vel una hora morari effugiebat facultas; excurrebat frequentius ventris solutione compulsa; nec ante cessavit ejusdem solutionis remedium, quam ventrem in terminis naturæ et debita gracilitate conclusit.

Domum ergo gracilis et attenuata revertens Dominum Deum Israel devotissime benedixit, qui erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui.

XL.

Virtus eadem, quæ mulieris prædictæ ventrem salutifere solvit, viri cujusdam fluxum non minus commode restrinxit. Ricardum enim cognomento Sapientem virum de Roeis comitissæ familia diarrhœa seu dysenteria novem mensibus exhaustum desperationi conjunxerat. Quicunque illum non nisi septies octiesve vidisset surgentem proprii censura judicii videbatur esse dementior; qui dum etiam ad locum martyris nostri memoriæ jam celeberrimum properaret, inter urbes Londoniensem et Roffensem solita pulsatus molestia quindecies ad debita naturæ secessit; sed in die sequenti passuum nihilominus viginti quinque millium viam confecit, numero pulsantis necessitatis usque in septenarium restricto, ex quo vero quasi a duobus passuum millibus in ecclesiam Cantuariensem oculos conjecit, equo desiliens, quod restabat itineris, pedes perrexit. Dei templum introeuntem super omnia timor angebat, ne orationibus intendentem solitæ necessitatis importunitas frequentius evocaret; sed annuente martyre pio ejus desiderio sanctuarii præfati gustu secus ac sperabat evenit. Nam toto illo die, proxima nocte nihilominus tota, plurima etiam diei sequentis parte in ecclesia assidue commoratus, nihil omnino sensit adversi, sanusque ad suos reversus gratiam et gloriam danti Domino gratias egit.

XLI.

Rusticus apud Norhamtoniam de villa quæ dicitur Heckeham, Willelmus, ut memini, vocatus annis non minus tribus

assidue portabatur equo; nervis enim constrictis atque contractis subtractus erat ei incessus. Cantuariam equo allatus, dum pervigil intendit orationibus, extenduntur ei poplitum nervi, paulatim se absque multa molestia in longum extendente somnus suavissimus obrepsit; excitatus citato gressu ad tumbam sancti accurrit, baculumque offerens, cui eatenus fuerat innixus, utpote martyri obnoxius gratias obnixe persolvit. Parva credimus esse et pauca quæ conscripta sunt eorum comparatione quæ in nostram non pervenere notitiam. Simplicum enim et idiotarum numerus, qui sanitatis recepto beneficio clam nobis recesserunt, soli Deo certus est, nobis autem incognitus. Præposituræ tunc temporis officium Johannes Vivanii filius in urbe Cantuariensi administrabat; qui quum veredarium cum reda pertranseuntem aspiceret, "Cave," inquit, "amice, si merces tuas vendidisti, ut telonii jura persolveris." "Persolvi," inquit veredarius, "teloneum beatus martyr Thomas admirandus accepit; infirmos in hac reda variis depressos languoribus adduxi; quorum mihi duos tantummodo reportandos reliquit: reliqui omnes vehiculo contempto præcedunt; subsequor præcedentes incomitatus: redam oneratam adduxi; reduco fere vacuam; et hi ergo et alii non pauci sæpissime nescientibus nobis curati sunt.

XLII.

Ostendit autem se miles quidam inter alios martyris curatos testium vallatus multitudine Adæ de Lilingestan filius nomine Godefridus, qui voti solvendi intentione venerat Cantuariam. Aiebat sibi igitur alterius oculorum visum debilitatum fuisse, et pupillam occupante albigine, usum ejus se tandem amisisse. Decrevisse autem maculam statim post votum, et in brevi contra opinionem omnium evanuisse.

Hic igitur nequaquam venit ut curaretur, sed curatus est ut veniret.

XLIII.

Mirum est enim et inter pios recordatione piissimum, quod piissimi patris nostri gratia quorundam votum prævenit, et ad voti eos obligationem compellit; quorundam sponsionem statim cum salute subsequitur, quibusdam occurrit in itinere longinquis adhuc ab urbe Cantuariensi constitutis: quosdam suscipit in civitatis introitu; alios vel in ecclesia vel ad ipsum sepulcrum præstolatur; alios abeuntes apprehendit; nonnullos diutius suspendens, domum reversos sanitati restituit. Beatrici cuidam pauperi de Wedestoc peregrinationis laborem præsumenti, nec dum itineris tædio dimidiato, obviam emissa est. Habuerat autem alterum oculorum ab anno septimo penitus excœcatum; alterum a quarto simili plaga percussum. Gradienti igitur et eandem spem, qua et cæteri jam nunc a quadrifido mundi climate Cantuariam tendere solent, habenti, splendor solaris paulatim illuxit; mirata primum et inter verum et falsum, inter spem et metum, inter gaudium et mœrorem fluctuans, ductricem puellam nomine compellat proprio et utrum radius solaris in terris appareat sciscitatur; itaque juxta quod legitur, 'Appropinquate Deo et appropinquabit vobis,' licet intellectu modoque diverso, ei successisse visum est. Quanto enim ad Cantuariensem ecclesiam martyrisque memoriam accedebat, tanto recedente cœcitate profecit in visu. Alterum tamen oculorum, in quo veniens experta est salutis duntaxat initium, nocte, qua in ecclesia celebravit excubias, ad usum sibi plenius redonatum gavisa est. Erat ei et ulcus in labio fætidissimum, quod cum pruritu jugi singulis totisque noctibus, sanie vicis-

sim sanguineque manabat. Quod aqua sancta lotum aruit illico, nec ulterius vel tabis fluxu vel sanguinis est pollutum. Confitebor incredulitatem meam, si tamen incredulitas nominanda est qua non mihi dubitavi sed aliis, ut ab omnium cordibus repagulum ejiceretur incredulatis. Dubitanti mihi super his quæ sibi accidisse dicebat, et, eo quod habitu vultuque despicabilem testis nullius nisi puellæ tantum commendaret præsentia, nunc testes importunius exigenti, nunc inclementiore vultu quasi contradicenti, dura et amaricata, quasi de motu irati animi procedentia, verba remisit, durum me et malum et incredulum appellans, et ad tanti martyris obsequia, tam inconsulte quam indigne deputatum, qui gloriæ illius invidere viderer, et miraculis ejus nimia veritatis indagandæ solicitudine derogare.

XLIV.

Thomas de Sancto Walerico adolescentiæ jam annos ingressus, damna plus anno dimidio cum dolore sustinuerat, altero namque pede portatus alterum portabat penitus a terra suspensum. Qui quum ante sancti sepulcrum, aqua gustata, pedem etiam lavisset, nullo cruciatu, nulla vexatione, nullo prorsus præcedente labore, optatum sanitatis munus plene se consequutum gavisus est, et ad impensæ sibi gratiæ memoriam pedis proprii ad instar pedem obtulit de cera formatum.

XLV.

Alii cuidam Willelmo Pagani filio de Pech pueriles annos agenti brachium ad latus paralysi dissolutum triennio fere pependerat. Mox ut in ecclesiam matre sua comitante ingressus est, corruens in terram ejulare cœpit ac flere, tan-

demque resurgens beneficium, quod postulare venerat, impetratum reportavit.

XLVI.

Visus amissio Edithæ filiam de Eggardintona Elvidam contristaverat. Conversa est ad sanctum, et voto devoto usque ad minus oculi recuperationem, licet minus perfecte, profecit. Maternorum oculorum regimine Cantuariam adducto, quum ad tumbam martyris orationem fudisset, utriusque plenam atque perfectam restitutionem, non tamen absque plurimo cruciatu, obtinu't.

XLVII.

Godwinus de Brecthwilla, prædio scilicet in diocesi Eboracensi, femoris, cruris, et pedis inflati dolore in lectum incidit; exacto quasi unius anni spatio quum reformatis aliquantulum viribus surrexisset, unius pedis damnum duorum baculorum reformans auxilio, venit ad martyrem: diebus illum aliquot super incolumitatis munere precibus pulsans nec proficiens, regressum meditabatur. Vix miliarii unius iter, primam videlicet dietam, confecerat, quum ecce intempestæ noctis silentio dormienti sanctus apparuit, his eum verbis alioquens, "Godwine, quo vadis?" At ille, "Itineris," inquit, "longi perpessus molestiam ad sanctum martyrem Thomam spe salutis impetrandæ adveni et nunc miser non solum inemendatus, sed et labore multo deterioratus, revertor." Tunc sanctus, "Regredere," inquit, "Cantuariam, regredere; sanctumque deprecare attentius." Qui evigilans et admonitionis tantæ negligens, quum itineris incœpti se reddidisset labori occurrentibus sibi casu de provincia sua militibus duobus et in quantum profecisset investigantibus, singula quæ sibi acciderant

enarravit ex ordine. Qui, audita visione, ut rediret oppido institerunt; erant enim cupientes signum aliquod videre ad oculum, et jam spem ex pauperis visione conceperant. Reversus itaque cum illis non citius caput ad martyris pedes inclinaverat, quam dolore penitus expulso et tumore restricto sanus exiliit. Nec erat revera cuiquam facile diffinire, utrum militibus admiratio fuerit profundior an profusior exultatio. Hoc unum constare fatemur, quod et omnibus nobis et singulis admiratio fuerit læta et admirabilis lætitia. Vir autem coram omnibus ambulans et exiliens et Dominum in martyre suo magnifice collaudans, projectis pedibus ligneis, pedibus propriis, quorum alterum ante nec flectere nec movere poterat, remeavit ad propria.

XLVIII.

Vidimus quoque militem de Burch Henricum de Longa villa nomine, filiam suam Iseldam sancto martyri Thomæ præsentasse auribus æque audientem ut cubitis; ut enim tam ejusdem Henrici quam generi sui Ricardi et eorum qui cum ipsis venerant assertione cognovimus, annis non minus quam sex penitus obsurduerat. Hic quum orationibus usque horam nonam porrectis rediisset ad hospitium, inter prandendum exclamans, "Fistulæ," inquit, "sibilum ego audio: sed longe remotum;" et pater, "Nequaquam longe est sed prope; sive remotum tamen, sive vicinum, putasne, audis, filia?" "Audio;" inquit," Deo gratias et martyri." Congratulabantur ei omnes, epulis lacrimæ miscentur præ gaudio: postera die mulier ad sancti memoriam reversa, in devotionis et humilitatis signum et receptæ sanitatis testimonium, comam capitis abscisam martyri offerre non distulit.

XLIX.

Reversus est itaque Henricus prædictus ad agros pro-

prios; hinc filiæ suæ congaudens, hinc desponsatæ sibi uxori compatiens. Hanc enim epilepsia singulis fere diebus fatigaverat, nec poterat statim adverti utrum exaudisset Dominus precationem ejus; et abiit mulier et convaluit; et vultus ejus non sunt amplius per epilepsiam in diversa mutati; una sola vice excepta, qua morbum ab ea transtulit Dominus et perfectam ei contulit sanitatem.

L.

Mulieri de Luitona nomine Brunnildæ menstrua omnino cessaverant, et menstruis in vomitum conversis, octo mensibus a sanguinis excreatione sese castigare non potuit. Urgente tandem tantæ necessitatis incommodo, venit ad martyrem. Introeunte portas Domini in confessione, inenarrabilis dulcedinis odor, quasi de ecclesia procedens, occurrit; tantaque dulcedine refecta est, ut miraretur jam se non esse quod fuerat; pedetentim vero progrediens, iterum atque tertio eandem sensit fragrantiam. Hoc usa remedio cum adeptæ gaudio sanitatis remeavit: correpta est iterum eadem infirmitate; iterum martyrem expetiit, a martyre salutem reportavit.

LI.

Facilitate eadem propulit martyr præcedenti infirmitatem Cantuariam; nec differunt multum de duobus malis contrariis miracula, quum non distent infirmitates ipsæ quantitate periculi. Etenim nimius sanguinis fluxus et nullus mulieribus satis indifferenter mortis asciscunt dispendium. Nam et nimius usque ad mortem exhaurit, et nullus usque ad mortem ingurgitat. Sicut ergo matronæ prænominatæ menstrua periculose cessaverant, ita et mulieris virum ultro rapientis Emelinæ fluxus abundabat; eratque sicut nimius,

ita etiam continuus. Invocavit martyrem, vitæ veteris renunciavit illecebris, et de cætero studiosiorem se honestatis futuram esse promittens, sancti se vovit adituram sepulcrum, si probrosam valetudinem valeret evadere, et confestim quasi post duas vel tres horas stetit fluxus sanguinis ejus, surgensque de lecto, gratiarum referendarum votique solvendi intuitu Cantuariam properait et nobis, licet non absque pudore, indicavit quid sibi accidisset, et quemadmodum confestim sanata sit. Indicavit etiam nobis equum, cui insidebat, graviter in oculo percussum adeo intumuisse, ut ab intuentibus omnibus visus ejus putaretur perpetuo esse subtractus : se vero oculo cereo formato læsum equi oculum in nomine martyris signasse, equumque in crastino, contra spem cunctorum, reperisse sanissimum.

LII.

Vir nobilis in provincia Cestrensi apud Album monasterium non minimæ potestatis, Willelmus Radulfi filius, Cantuariam, tum orationum gratia, tum acquirendarum reliquiarum intentione advenit. Wallensibus namque conterminus et nunc eos impugnans, nunc ab eis versa vice impugnatus, magnæ securitatis emolumentum ex tantarum reliquiarum præsentia proventurum sibi esse credebat. Gens enim præfata tam mentis incultæ quam corporis, licet effero corde conterminorum suorum sanguinem sitiat ; reliquiis tamen sanctorum maximam habet reverentiam, præcipue per quas procul dubio noverit aliquod contigisse miraculum. De cilicio igitur Sancti Thomæ et de vestimentis ejus, sanguine cruentatis, nonnulla ei portione collata, utrum ea Dominus dignaretur commendare miraculis scripto nobis renuntiari poposcimus ; quod et factum est. Significavit enim nobis Willelmus prænominatus, per-

paucis evolutis diebus, quod susceptis apud Album monasterium summo cum honore ac processione solenni reliquiis, statim Dominica proxima quæ beati Joannis Baptistæ nativitatem præcessit homines quinque, in ejusdem præcursoris Domini solennitate tres, in natali autem apostolorum Petri et Pauli quatuordecim, variis languoribus fuerunt liberati; inter quos etiam mulier paralytica illuc illata, lecto relicto, sanissima repedavit ad propria.

LIII.

Wallensis quoque Griffinus nomine ad idem allatus monasterium, quum triduum ibidem in vigiliis et orationibus expendisset, die quarto melioratus rediit. Crus ejus dextrum in immensum tumorem se diffuderat; planta pedis decoriata et quasi corrosa canium videbatur exprimere fœditatem. Domum a monasterio præfato reversus, quum membra languida sopore foveret, avem cygni adinstar grandem contemplatus est, formosam valde et omni nive candidiorem, in arboris vicinæ ramo consedisse; se vero arrepto arcu atque intenso, ad avem leviter viribusque repressis jecisse sagittam. Avolans avis consedit remotius, quod ille intuitus appetit eam sagitta secunda; tunc avis, quasi humanæ vocis usu sibi vendicato, his eum verbis alloqui visa est; "Utquidne, Griffine, sagittas? cessa, noli ulterius;" et quasi miræ pulcritudinis lancea porrecta, sic rursus intulit, "Suscipe, Griffine, lanceam istam, et bene diligenterque conserva;" qua cum ingenti gaudio et mira animi alacritate suscepta, quum exporrectus de somno tacite secum cogitaret, quid hujusmodi visio portendere posset, conjicere cœpit avem illam viri alicujus potentis seu domini sui sive alterius significari personam; lanceam vero sibi collatam vires seu potestatem qua sibi ablatam possessionem hæreditariam

a manibus adversariorum extorqueret. Hac igitur spe non mediocriter exhilarato, quum iterum somnus tenuis obrepsisset, vidit sibi habitus gloriosi et reverendi vultus assistere personam, in hæc verba loquentem, " Visionem, quam, Griffine, vidisti, quomodo interpretatus es? nequaquam satis prudenter nosti conjicere. Hæc est autem ejus interpretatio: avis illa coloris nivei novi Anglorum martyris Thomæ Cantuariensis archiepiscopi gerit significationem; modicus ille sagittæ jactus quam primo viribus jecisti castigatis, iter illud breve fuisse noveris, quod ad Album monasterium, ad ejusdem martyris reliquias, perfecisti. Jactus vero sagittæ secundæ quantitate præstantior itineris tibi grandis innuit laborem, quo te recipiendæ sospitatis causa usque ad martyris sepulcrum fatigari oportet: porro per lanceam tibi benigne collatam optatum incolumitatis robur a sancto tibi perfectæ conferendum intellige." In his ergo finem fecerunt, dicendi iste, ille dormiendi; surgit illico, et benedictione paterna postulata et accepta, pedes iter arripuit, et, quanquam ei indubitanter constanterque constaret non posse in die usque ad mille passuum profectum attingere, vehiculi solatio contempto, primo die quinque millia, secundo viginti, singulis deinde diebus quadraginta et eo amplius indefatigabilis perfecit; denique Cantuariam venientem adeo melioratum conspeximus, ut superducta cute nova vix aliquod morbi remansisset vestigium.

LIV.

Alii quoque Wallenses martyris venerunt implorare subsidium; quorum aliquem qui jam nonnullos juvenculos ætatis transegerat annos a nativitate mutum didicimus extitisse. Qui quum a Cantuaria regrediens civitatem Roffensem transmisisset, soluto linguæ vinculo non solum

Wallice sed et Anglice loqui cœpit; Wallicæ tamen idiomate linguæ expeditius, utpote quod ab ineunte ætate auditu solo didicerat. Obviavit Wallensibus eisdem abeuntibus vir probatæ religionis Ricardus canonicus et abbas Welesfordensis * ecclesiæ adeo exultantibus atque tripudiantibus, ut ad unguem id explicare volenti vix lingua sufficiat. Sed et mulier eisdem comitata Walensibus, oculorum similiter recepto visu, cumulum eis lætitiæ majoris attulerat; ad martyrem vero redire volentes insufficiens expensa prohibebat et per abbatem prædictum significaverunt nobis, quam feliciter sibi successisset in via.

LV.

Idem abbas, iter aliquando faciens, de salutifera martyris aqua secum ferebat. Ore vasculi cera diligenter obturato, in sinu suo illud cum reverentia collocavit: stabat vas in medio pectoris ejus erectum; inter eundum itaque quum illud in latus cecidisse conspexisset, parvipendens iter carpebat inceptum, operculo cereo negligenter confisus, aut potius confidenter negligens sanctuarii: sæpenumero intensus ut vas quod jacebat, erigeret, nihilominus negligentia pressus a proposito decidit. Arguit tandem seipsum desidiæ, manum mittit in sinum, vas absque operculo mœstus offendit, vacuum penitus suspicatus, plenissimum extraxit; nec se poterat vir Domini continere, quin statim Dei gloriam et sanctuarii virtutem commeantibus ostenderet, admirantibus admodum quomodo per tantum oris hiatum nec gutta impositi liquoris exierit. Nos autem inconcussa veritate nobis constare fatemur quia qui aliis minus dignis vel sanctuarii virtute vasa fecit confringi, vel sanctuarium in vasis subito non comparere potuit; et huic viro Dei ne

* Valdefordensis in the Paris manuscript.

sanctuarium Dei amitteret os vasis apertum invisibiliter obturare.

LVI.

Viro Glocestrensi cœcitatis tenebras, in quibus jam multis consederat annis, evadere cupienti martyris cruor a nobis in oculos est appositus. Spe salutis susceptus tumoris ei timorisque causa effectus est. Bonum medicinæ sanctæ sperans effectum, inopinato dolore affectus abscessit. Spe plenus ut videret advenit; sed spes, dum ei secus evenit, evanuit. Roffensem in reditu ingressus ecclesiam, acriore dolore clamores et ejulatus horrendos emisit; veritus vitam repentino claudere fine, accersito presbytero mortis articulum confessione prævenit. Assumptus deinde a monachis ejusdem ecclesiæ ante beati confessoris Itamari collocatus memoriam, ubi inter sacrificii divini secreta oranti insperati gratia visus divinitus collata est. Quod licet sanctuarii nostri credamus evenisse virtute, prædictis tamen Dei servis, beato Itamaro id ascribentibus, non contradicimus; quanquam indubitanter scientes in medio stratæ publicæ semitæ contigisse miraculum; quod nemo martyris nostri gloria vel subripere vel extorquere presumat.

LVII.

Gilleberto namque Foliot, episcopi Londoniensis Gilleberti consanguineo, et in episcopatu eodem rerum extrinsecarum procuratori, iter aliquando agenti occurrerunt nonnulli martyris peregrini. Ducebatur inter eos velatis oculis cœcus quidam a matris utero, qui juvenilibus annis transmissis virilem jam videbatur ingressus ætatem. Quæsitus unde veniret? a Cantuariensi martyre se reverti respondit; interrogatus nihilominus quid ibi egisset, quid inde profectus retulisset? "Nihil," inquit, "domine, nisi mei detri-

mentum reporto: cœcum me materna fuderunt viscera, cœcus hucusque permansi; cœcus Cantuariam, illæsis tamen oculis et absque dolore, ductus sum, cœcus inde cum inæstimabili doloris angustia regredior. Sanctuarium enim, unde mihi speraveram provenire remedium, et oculos in enormem tumorem cum miro cruciatu dissolvit, et sanies fluxu jugiter emanantis faciem hucusque fœdavit. Accessit ergo prædictus Gillebertus ad cœcum, et curiositatis stimulo ductus, velamen, quod contra ventorum et pulveris injurias oculis prætenderat, sublevavit; exclamans autem statim cœcus, acsi cumulato dolore, voce magna ingeminavit, 'Sancta Maria domina, Sancta Maria domina.' Pavefactus a voce clamantis dispensator, eumque qualicumque attactu suo læsum suspicatus, utrum aliqua læsionis molestia tanti causa clamori sextiterit interrogat; cui ille, "Nequaquam, domine, nequaquam læsus sum, sed illuminatus; Domine Deus," inquit, "tantæ pulcritudinis est forma humana; hæc dies prima est in qua mihi vultus humani decor apparuit., Exultat igitur illuminatus uberius; comites itineris congratulabantur; hæret dubitans martyris æmulus præfatus, videlicet Gilbertus; universos vero stupor apprehendit immensus. Discernit homo formas et rerum colores, quæ tamen quibus appellet nominibus non instructus. Dubitanti dispensatori eidem et cœci nati tunc in notam visus gratiam crebris interrogationibus experienti, congruis et veritati per omnia concordantibus satisfecit responsionibus. Hæc ab ejusdem dispensatoris ore viri veridici et religiosi susceperunt, et in aures nostras scripto commendanda transfuderunt. Quæ sicut pro sui gloria sunt digna relatu, sic et persæpe dicti Gillberti testimonio fidem extorquentia. Nemo namque de martyris gloria debet ambigere quam et æmulus ejus compellitur prædicare.

LVIII.

Occurrit et juxta Wintoniam vir quidam priori Folkestaniæ, qui requisitus quis esset, unde veniret, quo tenderet? apud Cornubiam et natum se et educatum respondit. Septennio sine lætitia lucis expenso, Cantuariam non oculis suis adductum, Cantuariæ illuminatum, a Cantuaria reflexo gressu repatriaturum. Sed quum a verbis ejus dissonare videbantur oculorum rubor atque deformitas, in eo videlicet quod illuminatum se esse dicebat, prior prædictus crebris interrogationibus rei studuit indagare veritatem. At ille non solum quæstiones ejus convenienter absolvit, sed et arbores et nemora totumque circumjacentis situm regionis descripsit. Dicebat autem vicinos suos et notos, ipso apud Cantuariam dimisso, domum præcessisse; se vero tandem post duas hebdomadas, visu precum importunitate recepto, remeare. Novimus et alios plurimos beati martyris meritis et intercessione curatos, in quos, licet numero diverso, cadere videtur illud evangelicum, "Nonne decem mundati sunt et novem ubi sunt? non est inventus, qui rediret et daret gloriam Domino."

LIX.

Pauperculæ mulieri de Lideburna Wivelinæ caput totum, vix capitis humani forma remanente, horribiliter intumuerat; quumque perceptis sacramentis cœlestibus mortuæ jaceret simillima, accedens filia, quam unicam habebat, denarium beato martyri pro ea offerendam super caput morientis complicuit. In fide filiæ mater sanata est, nam recedente horrore noctis recesserat horror tumoris. Votum itaque filiæ pro se factum devota complevit, et præsentiæ nostræ sanam se inter cæteros patris nostri curatos exhibuit.

LX.

Mathildem Silewini uxorem de Thornbiria languor in annum usque ad tertium decimum proficiens defectu miseriaque confecerat. Toto illo temporis intervallo vel assiduam lecti sustinuerat molestiam, vel surgens non nisi baculo sustentata duorum saltem aut trium passuum spatium poterat pertransire. Cantuariam suspirans, quum vicinis suis peregrinationis suæ innotuisset desiderium, delirare visa est. Noverant enim quod nec stadium cum baculo, nec sine baculo domus limen transire valeret. Non poterat ei periculosus et importabilis itineris labor dissuaderi : martyri confisa est et non est confusa; fiducialiter egit, et non timuit; primoque die usque ad sedecim passuum millia dolore deficiente profecit. Sed et singulis diebus dierum sequentium sumens roboris incrementum, absque labore ad laborem addebat itineris. Denique civitatem Cantuariensem ingressa, nihil in toto corpore sensit debilitatis, sed sanitatis perfectæ gaudium a martyre obtinuit antequam ad ejus tumbam votum solutura pervenit.

LXI.

Eam igitur de magno corporis detrimento salvavit fides propria; sed a periculosiore periculo Alani uxorem de Redingis Elizam fides aliena, subitisque incredibilibus acta passionibus in mortis exactionem putabatur excedere. Convocati convenerant amici, quos ei vel sanguinis propinquitas, vel amicitiæ integritas familiares effecerat. Desperati singuli remedium ei supplicare poterant, non sperare; omnes ei mortem prophetabant, quam nec evadere posset nec differre. Incidit igitur tandem in alicujus considen-

tium animum de illa sanctæ recordationis aqua, quæ tot desperatis immo jam jamque expirantibus insperatum attulerat auxilium. Allata est, et manifesta comitante virtute in domum allata, ori ægrotantis infusa, nausea statim sequente refusa est vomitu; igitur convaluit, et ad martyris sepulcrum convolans annua capitis sui pensione se illi obligavit.

LXII.

Tacenti Edrici presbyteri filiæ de Ramesholt in medio faciei sinistræ vesica grandis protuberans subito crepuit, saniesque effluens et faciei adhærens obduruit. Excrescentibus deinde in circuitu vesicis aliis, facies tota occupata est. Carminibus et medicinis parentes appositis, dum meliorationem ejus expectant, crescente jugiter eadem peste, a spe quoque vitæ illius decidunt. Demum caput illius circumquaque candela in honorem martyris commetientes consederunt Domini præstolantes misericordiam. Hora erat quasi decima; quum vero advesperasceret et inclinata esset jam dies, obduratæ saniei portione grandi cadente, cutis candida et sana subtus apparuit; die tertio ita curatam reppererunt ut faciem nec tenuis quidem macula fuscaret.

LXIII.

Contigit eadem in villa de re minori miraculum, relatu longe jucundius. Caseum quidam præsentaverat viri cujusdam uxori nomine Willelmus, quem illa filiæ suæ parvulæ Beatrici reservandum commisit. Illa, caseo reposito, ludicris et ludis ejus ætatis intendit depositi statim penitus oblita. Effluxerant jam dies aliquot quum puellæ caseus occurrit ad memoriam, ubinam vero locorum illum

reposuisset nullatenus recordari valebat. Timens ne, amisso caseo, verberum in eam vindicta procedat, uni fratrum suorum similiter parvulo, quem præ cæteris diligebat, specialiter ab ipso dilecta, secretum communicat, sciscitans utrum vel ejus occurrat memoriæ, ubi locorum fuerit repositus. Ille se nescire respondit. Appropinquante feria sexta sequentis hebdomadæ, quum jam timerent revera reposci depositum, iterum iterumque scrutantur loca singula; evertunt domum; quærunt caseum, nec inveniunt; diutius frequentiusque consulentibus nihil prorsus occurrit consilii. Incidit tandem in mentem puellæ, visumque est bonum in conspectu ejus usque ad hominem prætaxatum, licet longius remotum, proficisci, ut caseum ab eo priori consimilem impetrarent. At puer, "Nequaquam," inquit, "hoc faciemus; longe melius, Deo favente, acturi; audivi, et jam ubique terrarum satis est divulgatum sanctum Dei martyrem Thomam innumeris coruscare miraculis; profecto si ad ejus auxilium devote voluerimus confugere, nullatenus petitionis nostræ repulsa dolebimus. Deprecemur igitur ejus clementiam, ut somniare nos faciat ubi caseus sit." Placuit utrique puero consilium puerile; et Dominica dicta oratione cubitum perrexerunt. Astitit itaque dormienti puellæ sanctus vultu habituque venustissimus, et ait; "Quid contristaris?" Indicat illa dolendi causam, casei videlicet amissionem, et pœnæ formidinem. At sanctus, vase quodam volutissimo designato, in quo butirum dudum coagulari et confici solebat, "Nunquid non reminisceris," inquit, "quod in vase illo vetusto caseum reposuisti? surge, ibi eum reperies." Experrecta de somno ad locum designatum accurrit, caseumque arripiens ad fratrem suum citius recurrit, dicens, "Hugo, certe caseum inveni;" cui puer, "Vere scio ubi eum repereris." Exigente illa

etiam locum veraciter et indubitanter designavit. Admirans super responsis ejus puella, "Quomodo," inquit, "hoc nosti?" et puer, "Astitit mihi homo decorus aspectu et sicut presbyter indutus, doloris mei causam investigans; quam quum a me didicisset, indicavit mihi caseum, et ait, 'Surge; in vase illo vetusto illum invenies." "Vere," inquit puella, "et mihi dormienti ille idem homo apparuit, sermonibus usus eisdem. Surgentes igitur matri suæ rei eventum ex ordine pandunt; illa vero ejusdem villæ Edrico presbytero. Presbyter iterum seorsum puerum et seorsum puellam conveniens, unum et idem absque omni veritatis scrupulo, ab utroque audivit, et Cantuariam veniens, omnes fere quibus hæc narravit egit in risum.

LXIV.

Johanni de Berintona, villa scilicet in diocesi Lincolniensi, apostema in gutture, squinantiæ speciem prætendens, excreverat. Occupante faciem totam tumore, auris sinistræ facultatem cumulus ei doloris subtraxit. Diebus circiter quindecim cibum omnem abhorrens, solius aquæ refrigerio viscera jejuna refovebat. Allata de vicinia illa beati martyris aqua tam auri quam ori ejus infusa, ita subito dolor totus evanuit ut propter quietem subitam etiam tumorem cum dolore donec palpavit abscessisse putaret. Quumque præter solitum suavi somno refectus evigilasset, rupto interius apostemate et sanie plurima per guttur in interiore descendente ad extrema, ut credebatur, perductus est. Confluentibus utpote ad moriturum amicis et notis in area super cinerem extensus est, et, sicut moris habet illa provincia morientibus facere, lucerna ardens manui ejus est imposita: post modicum vero, contra spem considentium exsurgens et labio plurimum excreans vocem hujusmodi,

retulit dormienti sibi fuisse delatam: "Ecce per sanctum Thomam Cantuariensem archiepiscopum sanitati redonatus es:" statimque sanus surrexit, et in brevi collecto vigore ad martyrem gratias acturus venire non distulit.

LXV.

De portu Doverensi juvenis Curbaranus arte sutoria victus sibi necessaria quærens, mira quadam et mera simplicitate pro sancti martyris anima orationem Dominicam quotidie dicere solebat, nesciens quod injuriam martyri faciat qui pro martyre orat. Absque intermissione id agenti dignatus est se sanctus in somnio ostendere, dicens, "Curbaranne, dormis an vigilas?" Vigilare se profitenti molendino quodam ei designato sic rursus intulit; "Scis molendiunm illud?" et juvenis, "Scio, domine; tu quis es?" "Ego sum," inquit "Thomas Cantuariensis archiepiscopus; vade ad molendinum præfatum et sume quod ibi sub sambuco reperies; justum enim est ut saltem in aliquo devotionis tuæ servitium tibi rependam." Et ille diluculo consurgens, juxta illud præceptum Dominicum, 'Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus,' ad ecclesiam oraturus proficiscitur. Inde regrediens, ad memoriam visione reducta, divertit ad molendinum; statimque sub sambuco prætaxato denarium spissitudinis plurimæ reperit æruginatum, quem vel auricalceum æstimans vel cupreum quum ostendisset, alius eo longe astutior dentibus attractatum aureum esse deprehendit. Diligenter igitur a rubigine emundatus imaginem et superscriptionem Diocletiani Augusti comperitur habere; pretium ejus argenteis quadraginta præstare non ambigitur; erat enim de auro primo et purissimo appendens argenteos quinque.

LXVI.

Martyr vero, qui huic pia benignitate contulit aureum, ab alio quodam facete satis extorsit argenteum. Instabat nobis quotidie unus ex servientibus nostris ut denarium acciperet; non quia eum aliqua urgeret necessitas, sed improba quædam cupiditas. Febribus inopinatis correptus est, et usque ad mortem fatigatus. Obdormivit et vidit martyrem sibi dicentem, " Surge velociter et super tumbam meam offer denarium, ne te denuo febris apprehendat. Qui continuo consurgens fecit ut in mandatis accepit, et, seu spontaneus seu invitus, denarium super tumbam projecit. Mirati sumus valde ab illo nos monetam accipere, quam se quotidie dixerat auferre nobis malle quam offerre; scireque volentes quæ esset hæc nova viri devotio, quæ devotionis causa sciscitari sumus et admirantes audivimus. Ita martyr in eo et ardorem febris compescuit et cupiditatis.

LXVII.

Corruerat aucupis Flandrensis Radulfi filia, et crure confracto sanari non poterat. " Quid faciemus, " inquiunt parentes, " quod os confractum consolidari non potest, et perit puella." Inito itaque consilio, complicatum quadrantem cruri confracto alligant; martyrem invocant; martyri per singulos annos quadrantem promittunt. Ante diem octavum, emplastro illo argenteo puella perfecte curata, stabili gressu quaquaversum discurrit, et Cantuariam a parentibus suis adducta medicinam, qua fuerat sanata medico suo pro munere dedit. Ita unus et idem quadrans et medicamini ei fuit et oblationi.

LXVIII.

Ejusdem pater infantis quum octo diebus cura accipitrem

capiendum inutiliter laborasset, votum vovit martyri et ait, "Beate Thome, martyr gloriose, denarium tibi offeram, si mihi accipitrem dederis." E vestigio ad aucupem venit, ac si ad aucupis manum esset assuetus: et vidimus accipitrem et denarium oblatum accepimus.

LXIX.

Lacertum hebdomadis quinque disjunctum portavit homo de territorio Wigorniensi, nomine Edricus; caput ossis ab humero sejunctum, quoties se movebat, costis illidebatur; nec ullatenus poterat, licet quotidie tractum in locum suum, revocari. Tandem vero, post hebdomadas quinque, per medici cujusdam consilium, voto ad sanctum facto resiliit os brachii in locum suum tractum, immo vix tactum a medico. Et admiratus est medicus, eo quod multoties ante votum brachium traxerat nec profecerat.

LXX.

Retulit nobis matrona nobilis de diocesi Lincolniensi, nomine Constantia, viri illustris Roberti filii Gilleberti relicta, filiam suam Constantiam sanctimonialem de Stikeswald valetudine gravi correptam, postremo membrorum omnium usu omnino subtracto, diebus quasi quindecim penitus obmutuisse. Accidisse autem vel forte vel potius dispositione divina, quæ fortunæ nihil omnino reliquit regendum, quod transiens quidam illo diverteret, qui se chirothecam jactabat habere, quæ beati martyris Thomæ quandoque fuisset. Quod quum Sanctimonialibus innotuisset, impetratam chirothecam in sinu virginis ægrotantis imponunt. Mox ut in nudo Dei ancillæ pectus chirotheca tetigit, apertis oculis, redeunte loquela, totiusque corporis renovata qualitate, resedit, nec ulterius ægritudinis

ejusdem stimulum sensit; ipsaque martyris sepulcrum visitasset, sed nullam rigor ordinis exire permittit, postquam semel ingressa sanctitatis habitum susceperit. Vicem tamen illius mater sua devote supplevit, et cum filio suo Roberto et nuru sua Matildi nihilominus per martyrem curata Cantuariam venit.

LXXI.

Eidem namque Matildi a partus ærumna liberatæ adeo uterus iterum intumuerat, ut grossitudinem priorem tumor subsequens duplicato videretur proportione respicere. Physicorum succurrere satagentium succumbente industria; verum illum medicorum omnium medicum, cui omnis parit natura, multa prece deposcit, ut merita respiciat, et, ipso mediante, periclitanti succurrat. Audito autem anachoritam in vicinia illa Deo ministrantem aquæ sanctæ habere portionem, confessionis prius usa remedio, illuc delata est. Sancto namque deferens sese testabatur indignam ut ad se allatum susciperet sanctuarium. Bibit igitur de religiosi viri manibus, statimque, nec solutionem nec nauseam passa, ita detumuit, ut domum reversa vestem strictissimam, qua non nisi sana et gracilis uti poterat, absque difficultate indueret, mirumque in modicum ante gracillima effecta est quam mille passuum iter equo transvolare potuisset.

LXXII.

Jores Vallensis ecclesiæ cellerario Hugoni graviter ægrotanti medicus quidam curam impendit. Sæpenumero commonitus ne, postpositis periculis beati Thomæ martyris, spem ponere in homine perituro potius quam medicinæ perito, nullatenus acquievit viribus potius confisus herbarum. Medicus vero multo tempore multis medicamentorum

expensis multo studio sive labore consumpto, inductis in eum omnibus mortis jam vicinæ signis, tandem desperatum reliquit. Convaluerant jam in eodem cœnobio aquæ salutiferæ gustu febricitantes nonnulli, ipso singulis horarum spatiis vergente in deterius. Videns autem ejusdem loci abbas Johannes tam aliorum ægrotantium profectum quam defectum illius, accedens, menti ejus sancti martyris memoriam conabatur imprimere. Denique, quum acquiescens, invocato martyre, de aqua gustasset, sanguine statim a naribus ejus impetuosius erumpente, convaluit. Venit ad nos prædictus abbas et super his certificatos reliquit.

LXXIII.

Retulit quoque abbas idem venisse se ad locum ab accolis 'Delelande' appellatum, quod Latine spatiosum saltum resonare videtur; et invenisse ibi monachum quendam Radulfum, jam in extremis spirantem. Suscepto viatico, oleo ut moris est ecclesiastici, perunctus, linguæ prorsus jam officio destitutus, insensibilis rei quodammodo prætendebat imaginem, solam decessus ejus horam his qui aderant præstolantibus. Tulerat autem secum forte abbas prænominatus præstitam sibi de cilicio sancti Thomæ particulam; unde in aqua signo salutiferæ crucis impresso, os morientis a considentibus aperitur; aqua infunditur; mox qui ægrotabat non solum facultatem loquendi sed et appetitum comedendi sibi gavisus est esse restitutum; ita ut cibum sibi, mirantibus omnibus, porrigi postularet. Sicque vigore suscepto pristinæ redonatus est sanitati.

LXXIV.

Tertium miraculum ejusdem abbatis certificati testimonio memoriæ commendavimus. De territorio Eboracensi miles

Ricardus videlicet de Stanleia, apud abbatiam Joresvallensem hospitatus est febricitans, et renum anxio cruciatus dolore, manuum nihilominus digitos, natura nervorum flexibilitate subtracta, curvos non tamen habens penitus usque ad volam inflexos. Audito autem plurimos ibidem, tam laicos quam monachos, aquæ gustu sospitati redonatos, gustavit de aqua etiam ipse. Proxima nocte, quum quasi circa Cantuariam alto jaceret sopore depressus, et jam accessionis febrilis hora venisset, putabat se in somnis revera sanctum Thomam videre præsentem, et tactu manus lenissimo tam caput suum quam reliqua corporis membra complanantem. Nec ei visio cessit incassum: multis circumventus incommodis obdormierat; curatus in omnibus evigilavit. Retulit in crastino cum abbate discumbens visionis et modum et effectum: erectorumque digitorum ostensione fidem sibi haberi extorsit.

LXXV.

Itinerantibus aliquando in territorio beati Albani milite quodam et Honrico de Hoctona sancti martyris clerico, et sibi invicem appropinquantibus, post salutationem mutuam, quæsitus miles cujus esset accola provinciæ, vel unde veniret, comitatum Berkessire natale sibi solum esse respondit; illuc se a Cantuaria reverti. Interrogatus quid Cantuariæ relatu dignum perspexisset; "In aliis," inquit, "manifestam Dei vidi gloriam; in me gratiam sensi; nam post prolixi temporis languorem, tum lecti gestatorii mollitie, tum tolerabiliori navis vehiculo Cantuariam perductus, ecce, ut cernis, gaudens revertor et prorsus incolumis. Fidenter audeo dicere, saniorem me aliquando fuisse non recolo vel agiliorem. Sed et puero meo, quem cernis præsentem, non mediocriter successit; et quidem, licet ineffabi-

liter gratuler saluti propriæ, super impensa tamen sibi divinitus gratia major mihi stupor incutitur; nam ante annos aliquot sub rubo, sicut pastoribus moris est, obdormienti quasi vesica grandis alterius oculorum pupillam totam contexerat, quæ in dies lapideam sibi vindicans duritiam, jam adeo excreverat, ut glandis grandissimæ magnitudinem longe videretur despicere. Biennium jam elapsum est postquam prominente longius oculo, cilia puer non complicuit, qui quum Cantuariæ non proficeret et ad Roffensem usque civitatem cum dolore et gemitu mecum reversus, corpori somnium exigenti sufficeret, ostendit se sanctus in visu; et quasi tractans manibus sanctissimis oculum pueri, et tandem signum ei crucis imprimens, ut placuit, ab oculis ejus elapsus est. Pruriente igitur oculo puer evigilat; statimque, rupto tumoris illius folliculo, tabem sensit effluere. Excitati qui affuimus importunitate clamantis, accensis candelis accurrimus: estimantibus confluere ad dolorem occurrit divina gratia cum gaudio. Ab hora illa non cessavit sanies sanguine mixta jugiter emanare, spe nobis pueroque collata remedii." Quum hæc a milite præfatus Henricus audiisset, equo desiliens oculum pueri, contra venti inclementiam tectum, detexit et cilia jam se iuvicem sufficientem contingentia invenit; quibus separatis, quum folliculum jam laxum tabisque vacuum spina sublevasset, reperta est oculi pupilla pura, sana, et prorsus incorrupta. Exclamat puer optime se videre; et exclamat tam pueri dominus quam prædictus Henricus; et in gratiarum actionem uterque prorupit. Hæc, licet oculi nostri non viderint, tamen quasi nostris, ejusdem Henrici nostri oculis et ore certificati, interserere non dubitamus.

LXXVI.

Convenientibus etiam aliquando in unum nonnullis regni Anglorum optimatibus et diversa diversis martyris magnalia referentibus, audiisse se testatus est idem clericus unum optimatum dudum sancti martyris æmulum respondisse. "Mira sunt quæ narrantur et fidei terminos prorsus excedentia. Ab omnium eorum credulitate mens mea relapsa deficeret, nisi me in aliquo fides oculata certiorem reddidisset. Scio autem et certus sum apud quoddam præsidium meum manere presbyterum, cujus manum dexteram et brachium a multo tempore novi paralysis morbo dissolutum, adeo ut nec manum ori apponere posset nec movere. Jam illum annos aliquot ab altaris officio eadem passio coercuit; nunc autem a Cantuaria reversus, non solum sacerdotale ministerium libere et expedite exsequitur, verum etiam armigeris et servientibus meis vires proprias jactu lapidis ponderosioris experientibus colludens, de omnibus in ejusdem ludi certamine triumphum reportare videatur." Hæc ille magnas; et ad prædictum Henricum conversus, "Quid," inquit, "Henrice, huic admirando rerum eventui justi vel rationis putamus inesse; ut ille, quo nullus nostrum dum cancellarii dignitate fungeretur in ecclesiam Dei fuerit severior, * nunc singulis sanctis, de quibus vel legit vel canit ecclesia, miraculorum multitudine magnitudineve percellat?" At ille, quanquam propositæ sibi quæstionis arduam ac sanctissimam sancti martyris vitam possit objicere, humilius tamen assumens loquendi principium, sic eam absolvit: "Quid tibi videtur majorem prætendere sceleris enormitatem; Christo renunciare, an in ecclesiam

* This passage is remarkable. See the Preface.

Christi severitatem, cujus vel te vel sanctum accusas, exercere? Si autem Petrum a tanto crimine tantillus fletus absolvit; si latronem et criminis confessione et momentanea pœnitentia sanctificatum paradisus, priusquam reliquos sanctos, excepit, quid Christo Domino et ecclesiæ propugnatori, exilii fere septennis injuria, violenta rerum suarum distractio, deportaio parentum et amicorum carcer, vestis cilicinæ, et ad ultimum, quod omnibus his majus est, mortis tam crudelis causa et tempus et locus conferre debuerunt? Nunquid se in Petrum et latronem divina miseratio sic totam expendit, ut non relinquerentur posteris saltem reliquiæ? eadem est penitus quæ fuit, et detrimentum sui non recipit."

Hæc et in hunc modum plura clerico disserente, sic optimati satisfactum est, ut benedictionis ei mercede compensata clamaret "Vere strumam a corde meo ejeci, quam pro viginti libris nollem ibi radicatam remansisse." Hic idcirco breviter subnectere volui, ut innotescat legentibus, quanta pietate clementissimus martyr carbones ignis super capita congesserit æmulorum suorum; quatinus veteranis eum odiis saltem mortuum insequi cessantes dulcedine et certitudine miraculorum informarentur ad caritatem, ne peccata peccatis adjicientes infirmarentur ad mortem; et ut memorati æmuli sui menti dilectionem sui sanctus insereret. In alia ejusdem villa, quæ Anglice Niwentona, latine Nova villa, sonare videtur, admirandam operatur gratiam sanitatum. In medio villæ a primis miraculorum diebus crux est erecta, sed cujus ministerio, adhuc ignoratur. Locus ille, in quo crux stat, terra sancta est, gratiis plenus, et miraculorum gratia celeberrimus. Quum enim sanctus ab exilio revocatus adiret Londonias, apud Niwentonam de equo descenderat, et dum pueris manus impon-

eret et chrismate confirmans gratiæ plenitudinem adesse invocaret, eodem in loco constiterat. Non enim erat ei, ut pilerisque, immo ut fere omnibus, episcopis moris est, minsterium confirmationis equo insidendo peragere; sed ob sacramenti reverentiam equo desilire, et stando pueris manus imponere. Sed et in aliis duobus locis, eadem de causa descendens, accurrentis populi votis devote satis fecerat; in quorum singulis propter miraculorum frequentiam et ipsius martyris in somnis admonitionem singulæ cruces ligneæ sunt erectæ. Tanta est in illis signorum gloria, tanta gratia sanitatum, tantus populorum concursus, tantus advenientium devotionis affectus, ut sicut de domino ita et de servo canere possit ecclesia, " Venient ad te qui detrahebant tibi; et adorabuut vestigia pedum tuorum; " catervatim namque certatimque concurrunt etiam martyris æmuli, adorantes in loco ubi steterunt pedes ejus.

LXXVII.

Scimus autem de Suthwella Odildam quæ mellifluam sancti gratiam, quam Cantuariæ implorare veniebat, eodem in loco, videlicet apud Niwentonam, impetravit. Oculorum ei visus a quarto defecerat anno; a tertio vero cohærentibus sibi invicem ciliis, sicut cœci, ita et clausi permanserunt. Quum ergo se inter collanguentes juxta crucem prædictam projecisset, capitis dolore correpta inter cruciatus angustias, lucis amicæ delicias apertis oculis gratulabunda suscepit.

LXXVIII.

Sederat quoque in cœcitatis carcere mulier de Wolewich annis decem; quæ, ibidem impetrato quod Cantuariam venerat implorare, magnifice lætata est. Visus particeps

desiderati astanti populi catervam ad gratias et Dei laudes exeitavit.

LXXIX.

Puer etiam trimus,

Quem clausis oculis fuderunt viscera matris,

eodem in loco collocatus quievit. Postquam vero vespertina peracta synaxi lux diurna nocturnis tenebris claudi visa est, apertis oculis visum, quem natura negaverat, multis astantibus miraculose suscepit, triste vivendi principium lætiori fine clausurus.

LXXX.

Æliza de Dunetona Rogeri filia, ea valetudine, quam physici cardiam vocant, graviter anxieque laborans, ita ut angusto anhelitu singulis fere momentis exspirare potius putare posset quam spirare, sub cruce prædicta fatiscentes artus quiete refovit, et post quietem recessit incolumis.

LXXXI.

Hydropisis tumor Godichæ de Heisa possederat corpusculum, et omnibus membris omnem humanæ formæ decorem subduxerat. A planta pedis usque ad verticem non erat in ea sanitas. Ad locum autem prædictum accedens, aquæ Cantuariensis haustu non aliter exhausta est, quam si efficacissimæ gustu potionis eadem ventri solutio sibi procurata fuisset. Denique Cantuariam ad commune miserorum solenneque pervenit refugium, et eadem solutione diebus quinque perseverante membris exilibus et attenuatis admodum gracilis et macilenta recessit.

LXXXII.

De Staffordiæ comitatu mulier, cui nomen Aldida, annis

non minus quam tribus lucis aliena, fusit ibidem ad Dominum precibus, et nomine martyris invocaro, desideratam corpori sui sanitatem consequuta est.

LXXXIII.

Similiter et pellipario Hedewico cuidam de territorio Glocestrensi tribus nihilominus annis oculorum cœcitate damnato, gratia divina per martyris invocationem gratiam lucis infudit. Multa tamen prius perpessus multos cruciatus sub dolore ad pueri compassionis inclinavit affectum. Villam de qua se esse commemoravit, quia memoriter non tenuimus, dominam ejus et itineris comitem Bertam, Heliæ Giffardi relictam, de cujus feodo terram tenet, testimonii causa hæc annotasset sufficiat.

LXXXIV.

Eodem in loco et Leuricus de Berkinges in Norfolkia, † de terra beatæ virginis Edeldridæ, manum paralysi dissolutam restitutam sibi gavisus est, non tamen absque magno præcedentis cruciatus indicio. Biduum enim in ejulatibus et fletu incessanter expendit; die vero tertio simul cum salutis optato beneficio redeunte quiete, manum et extendit et ostendit sanissimam.

LXXXV.

Acciderat autem ea tempestate, qua beatus Dei athleta Thomas, concordantibus regno et sacerdotio, pacem ecclesiasticam videbatur obtinuisse, Walterium Torel, virum Warwicensem de villa quæ Adulvestre Anglice nuncupatur, filiæ suæ Lucianæ ætatis adhuc agenti annum quartum decimum maledixisse. Neverat enim puella in natali beatæ virginis et martyris Ceciliæ, illis in partibus celebri valde

† NORFOLKIA—SUDFOLKIA in the Lambeth MS.

atque solenni: reversus pater ab ecclesia nentem eam invenit, et zelo festivitatis ductus maledicti multavit sententia, quæ statim ad maledictionem paternam aruit, et dextra corporis parte simul et officio linguæ privata est. Videns autem pater malo suo se exauditum fuisse—malo enim suo dolorem vindicat cui vindicta ipsa pœnam doloris accumulat—flens et ejulans semimortuam humeris suis imposuit, et ad multa Sanctorum loca delatam tandem in quadam beatæ virginis Edithæ basilica a linguæ solummodo damnatione liberatam recepit. Minorato igitur aliquantulum dolore, non labore, onere misero et miserabili rursus onustus ad Cantuariensis martyris memoriam et pedes convertit et animum; qui, quum per crucem superius memoratam transiens et projecta in loco ubi steterunt pedes ejus, puella, quum diutius orasset, rediit tam manuum quam pedum nervis calorque vigorque nativus, et tota corporis portio mortificata revixit. Exultat gaudio pater inopinato, et ad Cantuariam usque progrediens, ea lætatus abire comitatus, qua venit onustus. Hic itaque antequam ad martyrem accederet a martyre exauditus est.

LXXXVI.

Alius contra, qui non multo minus septennio herniosus extiterat, a Cantuaria regrediens illacque pertransiens, post orationem factam orationis sensit effectum; et usque ad noctis fere medium huc illucque in latera diversa volutatus, resarcitis divinitus coartatisque et in locum proprium revocatis visceribus, martyris virtutem sicut in se expertus est ita et admiratus.

LXXXVII.

Robertus de Boalim annis ferme decem oculos sine visus efficacia gerens, uxoris suæ ductu de Essexia veniebat mar-

tyris mendicare suffragium. Roffensem transmiserat urbem, quum equitante post eum cœco equi pede calcatus in toto se læsum ingemuit. Cognito autem cœcum esse qui sequebatur, et quod ad sanctum una eademque causa traheret utrumque, seu pro sui læsione, seu pro sua et illius cœcitate, qua scilicet neuter vel sibi vel alteri potuit præcavere, altius ingemiscens, et corporis et mentis ad Dominum genua flexit, Dominum per martyris sui merita obtestans ut se in amissam visus revocaret lætitiam. Qui quum eadem repetens tertio terræ pronus incubuisset, lapidem oculis præjacentem vidit et arripuit; et præ gaudio deosculari cœpit, uxorisque ducatu contempto, socios cursu citato prævolat, ita ut de comitatu nullus eum comitari valeret. Illo ergo sic præcurrente, et ad singula fere stadia flexis genibus Deum adorante, nec sanæ illum mentis esse credebant, qui sequebantur, nec corporis illæsi. Estimabant enim quod in cursum eum egisset insania, offendiculum in lapsu læsionem intulisset. Ille vero præcipiti et incessanti cursu sex ferme passuum millia transvolando, apud Newentonam, ubi crux prima in honorem martyris erecta est, restitit, et in loco, ubi steterunt pedes ejus, adoravit. Postea cum gaudio inenarrabili Cantuariam processit.

LXXXVIII.

Attulit illuc et Rogerii pelliparii uxor Aeliza de Norhamtonia parvulum suum Henricum trimum cujus pes dexter pedi sinistro ad crucis instar superpositus inseparabiliter ab hora nativitatis adhæserat. Ossa tibiarum vel nulla fuerunt vel nimis exilia; mater enim eas, ut inde certificaretur, sæpenumero durius attrectavit, sed nullam unquam ossis soliditatem in carne molli et fluxa sentire potuit. Quid

prodest sermonis prolixitas? mater est fomesque fastidii: tam miseræ conditionis puerum, quem in loco sancto collocaverat, separatis ab invicem pedibus suscepit erectum.

LXXXIX.

Puellæ duæ, Godeboldi filiæ de Boxeleia, baculis potius quam pedibus seipsas a cunabulis ipsis portantes, illuc adductæ sunt. Utrisque pro salute sua martyrem interpellantibus, priori natu somnus obrepsit: visitat eam alloquiturque sanctus in somnis, salutem et pollicetur et donat. Expergefacta poplitum nervos miratur extensos magno cum cleri plebisque tripudio. Pulsatis interim ecclesiæ signis in ecclesiam inducitur. Vidit hoc natu posterior, et lacrimis indulget uberioribus, tanto de sua miseria tristior, quanto prior natu de suo felici successu gaudebat. Incusat sanctum quod, abeunte sorore, jacens ipsa remaneret. Videres ibi fletus Esau pro munere benedictionis paternæ clamantis, 'Nunquid non nisi unam benedictionem habes pater? mihi quoque obsecro ut benedicas;' quumque ejulatu magno fleret, motus pater pius dormientem die postero visitavit, et, ad prioris modum, sanitati restituit. Duplicato itaque miraculo, Deo laudes a populo geminantur; visi sunt ibi præterea et alii innumeri de diversarum ægritudinum angustiis liberati. Sed quia nec testes ab eis producti sunt, nec ad purum veritas a nobis eliquata, non pauca, eadem facilitate qua in aures admisimus, emisimus, nolentes granis paleas commiscere; dubia certis interserere.

XC.

Hoc autem nequaquam silentio sepeliendum esse censuimus, quod alio in loco, ubi venerabilis pater similiter steterat, antequam ibi crucis signum erigeretur, lux immensa

dicitur resplenduisse; in cujus rei assertione testes sunt quatuor, Henricus de Cropindenne, vir verax et vitæ commendabilis; Samuel clericus; et alii duo, quos fama nihilominus fidei et veritatis extollit privilegio. Hi omnes simul una et eadem hora non longe a loco iter agentes cereos ibi tredecim viderunt accensos: superat adhuc die pars nonnulla. Desiliunt equis omnes, et, rem vicinius contemplari volentes, propius pariter pedetentim accedunt. Quumque ad dimidium lapidis jactum cereis appropinquassent, subito ab oculis eorum subtracti sunt. Stupore percussi regrediuntur; regressi respiciunt; respicientes cereos iterum accensos et vident et numerant, et ascensis equis, sciscitantur invicem quid esse queat? quod, occidente sole, locum illum lux tanta contra tenebras nocturnas irradiat. Reminiscens autem Henricus prænominatus beatum Dei athletam illac transisse ad tugurium quod sibi apparebat, divertit, et quod sanctus, dum pueris ministerium confirmationis impenderet, ibi stetisset, a muliercula edoctus est. Manifestata est autem et postea evidentius loci ejusdem sanctitas multarum gratia sanitatum et plurima miraculorum frequentia: unde et crucis ibi signum a fidelibus erectum est. Sed et tertium locum, in quo steterunt pedes ejus, non impar prodigium gloria similiter venerabilem fecit, de quibus non est modo dicendum per singula. Non igitur ea silentio damno, sed differo: in tanta quippe miraculorum multudine constitutus hæsito satis, quid prius proferam, quid posterius:

..... inopem me copia fecit.

XCI.

Si enim Dominus exilis ingenii mei gratiam multiplicibus augeat incrementis, si linguis hominum loquar et

Anglorum; si mihi in manus conferantur non dico scribæ velociter scribentis, sed et notarii velocissime annotantis; succumbet ingenium, lingua deficiet, digiti obstupescent. Si singula martyris Cantuariensis magnalia vel tangere breviter attentavero, nedum plenius et planius explorare, remordet me commonitio ethici non inutilis, cujus in principio meminisse debueram:

> Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
> Viribus, et versate diu quid ferre recusent,
> Quid valeant humeri.

Nunc autem quia et contra sapientis alterius consilium altiora me quæsivi, utpote scrutator majestatis opprimor nimirum a gloria. Gloriosa quippe sunt et inscrutabilia valde martyris nostri magnalia vel merita, et imbecillitatem sensus mei, sicut sui dulcedine alliciunt, sic onere premunt; quia tamen semel incepi, loquor de domino meo quum sim pulvis et cinis.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

INCIPIT LIBER TERTIUS MIRACULORUM.

PRIMUM LIBRI SECUNDI.

Patet ex prædictis quod non immerito debeat in matris et virginis ecclesiæ sinu sancti Thomæ perennare memoria, sed ut eum Dominus altioris esse meriti vel gloriæ declararet, mirabiliori quodam et inusitato dignatus est privilegiare miraculo. Inusitatius enim est pro membris abscisis nova substantia quam ad vigorem debilitatem restitui. Erat plebeius quidam in villa regia Westona in territorio

Bedefordensi, Eilwardus nomine, cui ex vicinis suis quidam Fulco pro dimidii jugeris aratura duorum denariorum debito tenebatur. Qui, altero reddito, alterius solutionem usque in annum sequentem, sub non habentis specie, protelavit. Die quodam festo post beati martyris passionem, quum forte simul ad tabernam proficiscerentur, (moris enim est Anglis feriantibus commessationibus et ebrietatibus indulgere, ut videant hostes et derideant sabbata eorum) exigente isto debitum abjurat ille; postulat iste ut eunti sibi ad servitium * saltem dimidium solvat debiti sibi, dimidio ad simile negotium sibi ipsi retento. Negante et hoc nihilominus debitore, talionem se redditurum minatur exactor; utroque ad tabernam inebriato, surgens prætaxatus Eilwardus debitorem suum præcessit, et ad domum ejus divertens, avulsa hostii sera, tam impetuosus quam inebrius effractor, domum irrupit. Evolvens domum, quærensque quid auferat, cotem magnam offendit, et chirothecas, qualibus ruricolæ contra spinarum aculeos manus armare consuerunt; sublatis utrisque vix pretium nummi prædo pauper asportavit. Exclamant pueri in atrio domus colludentes, et concurrentes ad tabernam, patrem suum evocant ut prædam excutiat. At ille hominem persequutus cotem extorsit, et eadem in caput prædonis vibrata, tam cotem in capite quam caput in cote confregit. Exserto quoque cuspidis acutæ cultello quem ferebat brachium eidem perforavit. Prævaluit adversus eum, miserumque, ut furem, ut raptorem, ut effractorem reducens, in domo, quam effregerat, colligavit. Accersit deinde præconem villæ Fulconem, quid facto opus sit interrogat. At ille, "Brevis," inquit, "et insufficiens est causa pro qua captus

* SERVITIUM——cervisiam C.

est; si vero, aucto furto, aliis rebus quasi furtivis oneratum produxeris, plectendi eum sceleris poteris accusare." Acquievit ille, et terebro, bis acuta, reti vestibusque nonnullis simul cum cote et chirothecis in collo illius colligatis, officialibus regis die postera præsentavit. Tractus itaque Bedefordiam in custodia publica mense uno tentus est, et accito presbytero quodam venerabili pagano, utpote periculis extremis expositus, ad mortem immo et ad vitam se præparat, et omnia conscientiæ suæ secreta evolvens, quicquid saluti contrarium invenit in tutis presbyteri auribus effundit. Sed et de corporis sui liberatione spem suam divinæ miserationi committens, "Domine," inquit, "carissime, terram quam Dei filius, Dominus noster Jesus et vita temporali sanctificavit et morte, pedes adibo, si necessitatis instantis articulum evasero. Unde et humero meo dextro candenti ferro signum crucis precor inuri, quod mihi, licet vestes auferantur, auferre nemo prævaleat." Fecit ille ut fuerat rogatus, commonens ut ad sanctorum suffragia devotus confugeret et maxime gloriosi martyris Thomæ, quem Dominus tanta signorum gloria mirificavit. Filo præterea longitudinem latitudinemque corporis ejus mensus est: unde factam candelam sancto martyri liberatus offerret. Flagellum etiam de virgis ei præbens, "Accipe," inquit, "virgas istas, et cum invocatione martyris quinquies quotidie priusquam gustes tibi ipsi tortor existe, nec cesses ad martyrem die noctuve genua flectere, martyrem invocare, nisi quum importunitate somni gravatus, naturæ deficienti cogeris succurrere." Diligentius igitur instructum dimisit, inhibitum esse a judicibus asseverans, ne ullus presbyterorum ulterius ad eum haberet accessum. Mittebat tamen sæpenumero qui eum occulte per fenestram ad indicta sibi

vel negligentem excitaret, vel studiosum magis accenderet. Sed et prior canonicorum de Bedfordia Gaufridus, quem et hujus admirandi miraculi testem habemus, victus ei necessaria sæpius administrabat, sæpius incarceratum visitabat, et ut saltem ad horam respiraret, eductum de carcere sub divo deambulare faciebat. Jam quatuor septimanis exactis, quintæ principium advenerat, quum eductus miser de carcere ad consilium trahitur judicandus. Impetit eum, accusator crimine furti: impositum crimen constantius ille repellit, et omnibus quæ sibi a collo pendebant longius excussis, de cote duntaxat fatetur, et chirothecis, quod eas in pignus pro debito acceperit: furtum et scelus omnimodum inficiatur. Dilato judicio carcerali rursus mancipatur custodiæ. Itaque quinta post hebdomada extractus et tractus item ad concilium, super cotis tantummodo et chirothecarum furto ab adversario suo impellitur. Ille enim quia, postulante reo, monomachiam inire sibi metuebat, omnia, quibus illum ante insimulaverat, silentio damnavit, et vicecomitem judicesque faciens sibi propitios, ut a duelli necessitate seipsum excuteret, et alter aquæ judicio examinaretur, obtinuit. Erat autem sabbatum, et usque in feriam tertiam hebdomadæ sequentis examinatio dilata est, ipso iterum conservato in carcere. Vigiliam in ecclesia, quam seipsos a crimine purgaturis concessit Christianæ religionis pietas, negavit ei custodis crudelitas. In carcere tamen excubias devotus celebravit, quas ei in ecclesia celebrare non licuit. Educto ad aquam obvius venit presbyter prænominatus paganus, commonens omnia æquanimiter in peccatorum remissionem sustinere; odium et iram in animo non habere; omnibus adversariis suis omnia ex corde dimittere, et de Dei misericordia non desperare. At ille, "Fiat," inquit, "Dei et martyris Thomæ voluntas in me." De-

missus in aquam reus deprehenditur, quem præco prædictus Fulco arripiens, "Huc," inquit, "scelerate, huc venies ad me?" Et ille, "Deo gratias et sancto martyri Thomæ." Tractus itaque ad locum supplicii, orbatur oculis, genitalibus mutilatur, et oculum quidem sinistrum statim integrum eruerunt. Dexter autem laceratus et in frusta concisus, vix tandem effossus est. Membra, quibus eum mutilaverant, sub cespite absconderunt, et, juxta quod de illo legitur, 'Qui incidit in latrones,' despoliaverunt eum et plagis, ut prædictum est, impositis, abierunt, semivivo relicto. Confluxerat ad spectaculum non parva populi multitudo, quibusdam nomine publicæ potestatis compulsis, quibusdam curiositate attractis. Mutilaverant eum accusator ejus Fulco et ejusdem nominis regis officialis, cujus instinctu consilioque in tantam creditur devenisse miseriam, et cum iis lictores alii duo; quibus tamen veniam petentibus pro Dei et sancti Thomæ martyris amore libenter indulsit. Martyris memoriam aditurum se licet lumine orbatum admiranda fide inclamitans de martyris pietate virtuteque non diffidere martyri, sciens gloriosius esse oculos restituere perditos, quam non ablatos conservasse. Sequuta eum fuerat sola filia sua duodennis, quæ et incarcerato alimonium mendicaverat. Confiscatis enim omnibus quæ habuerat, omnes amici ejus spreverunt eum; nec erat qui consolaretur eum ex omnibus caris ejus. De vulneribus ejus tanta sanguinis emanavit copia, ut metu mortis suspectæ presbyterum accersirent, qui aderant: cui et confessus est. Paulatim tamen cruoris fluxu restricto, ductu puellæ in villam Bedfordensem rediens et juxta parietem domusse projiciens, diem illum nullo sibi collato humanitatis beneficio duxit ad vesperam. Succedente jam noctis crepusculo, misertus ejus vir quidam nomine Eilbrictus, maxime quia aeris inclem-

entia et pluviarum inundatio sub divo jacentem plurimum molestasset, excepit illum gaudens in domum suam. Fecit igitur in tenebris dies decem vigiliis orationibusque dans operam. Nocte vero diei decimi, prima noctis vigilia, post luctus gemitus et suspiria in somnum resoluto, apparuit quem invocaverat, nivei candoris vestibus indutus, baculoque pastorali signum crucis in fronte ejus et oculorum foraminibus depingens, sub silentio discedere visus est. Expergefactus ille, et visionis negligens projecit se rursus et obdormuit. Iterum ergo ante lucanum rediit in albis, qui in sanguine agni vestes suas dealbaverat; dixitque viro, "Homo bone, dormis?" Vigilare se fatenti, "Noli," ait, "noli dormire, sed vigila et insiste orationibus; noli diffidere; sed spem tuam in Deo et beata virgine Maria pone et sancto Thoma, qui te venit visitare; et si nocte proxima in ecclesia beatæ Mariæ vicina, coram virginis ejusdem altari, cum lucerna cerea excubaveris, et orationibus incumbens in fide non hæsitaveris, oculorum restitutione gaudebis." Excusso somno tractat homo secum tacite quid visio talis portendere possit; utrumve potius integumento remoto promissio sancti mancipetur effectui. Talia secum secreto volventi, quasi dextri omnis nuntia, respondit domus ancilla, "Videbam hac nocte in somnis, Eilwarde, te utriusque oculi visum recuperasse;" at ille, "Sic fieri poterit, quum Deo et beato martyri ejus Thomæ placuerit." Quumque advesperasceret et inclinata esset jam dies, prurientibus sibi oculi dextri ciliis, ut ea ungue scalperet, malagma cereum, quod sive ad extrahendas orbium vacuorum prurulentias, seu ad ipsa cilia claudenda fuerat appositum, amovit, ciliaque mira Dei virtute aperienti videbatur in opposita domus pariete quasi lucernæ splendor irradiare; erat enim radius solaris rubens, sole jam ad occasum ver-

gente. Ignarus tamen veritatis, et sibi ipsi super hoc incredulus, dominum domus vocavit, quid opinaretur ostendit. Cui ille, "Insanis, Eilwarde, insanis: tace, nescis quid loqueris." "Nequaquam," inquit, "domine, insanio; sed ita revera oculo sinistro mihi videre videor." Fluctuans autem hospes ejus certitudinisque sciendæ sollicitus, manu autem ante oculos ejus diducta, dixit ei; "Videsne quod ago." Respondit, "Puto manum tuam ante oculos meos huc illucque duci." Tunc a principio primæ visionis incipiens, quid viderit, quid sibi vel præceptum fuerit, vel promissum, seriatim enarravit. Exiit sermo iste inter vicinos, et populi multitudinem non parvam novitatum novitas attraxit. Accurrit et Osbernus decanus, ecclesiæ prædictæ dominus aut potius minister; et audita viri visione, virum in ecclesiam introducit; collocat coram beatæ Virginis altari; instruit et confortat ad fidem. Data in manu ejus lucerna, pallam altaris se perspicue videre fatetur: deinde beatæ virginis imaginem, postremo quælibet alia minoris corpora quantitatis. Crescit stupor populo quantum viro gratia visus. Probaturi unde procedat vis illa videndi, ab oculis videlicet novis, an ab evacuatis foraminibus absque pupilla, deprehendunt pupillas duas parvulas profundius in capite latitantes, pupillis avis parvæ vix quantitate coæquas, quæ, etiam incessanter crescentes, omnibus intuentibus ineffabilem incredibilemque stuporem lenta sui augmentatione continuabant. Attollitur igitur ad cœlum clamor, populi laudes Deo debitæ persolvuntur; signa pulsantur ecclesiæ: confluunt plurimi, qui jam obdormierant, et cum illuminato suo lumen solis insomnes expectant. Mane autem turba totius villæ in unum conglobata diligentius clara luce intuentes, alterum oculorum varium, alterum prorsus nigrum adverterunt, quum natales ambos varios habuerit. Accurrit inter

alios et presbyter de ecclesia sancti Johannis, qui mutilati confessionem susceperat, et mira Dei visa virtute, "Quid," inquit, "auctoritatis apostolicæ præstolamur præceptum? Absit ut ulterius expectem: jam nunc de glorioso Dei amico martyre Thoma, utpote de martyre pretiosissimo, solenne inchoabo servitium, et ad finem usque complebo. Quis ambigat martyrem esse, qui tanta facit et talia?" et ad ecclesiam currens, pulsatis signis, dicta factis implevit. Vir autem non jam orbatus lumine, dico, sed ornatus, sicut per medium villæ cum ignominia fuerat tractus ad pœnam, ita et eadem via cum gloria populique favore reducitur ad sancti Pauli ecclesiam, in qua etiam noctem Dominicam duxit insomnem. Inde discedens ad salutis suæ auctorem Thomam iter arripuit: quacunque transibat, sequebatur eum multitudo plebis copiosa; fama namque prævolans in occursum ejus quoslibet excitavit. Quicquid ei muneris conferebant, pro martyris amore pauperibus erogavit. Quasi quatuor passuum millia confecerat, quum, pruriente sibi testiculorum folliculo, adjecta manu scalpere cœpit; et etiam membra illa sibi restituta comperit, parva quidem valde sed in majus proficientia, quæ etiam volenti cuilibet palpare non negavit. Londonias venientem episcopus Dunelmensis Hugo gratulabundus excepit, nec ante a se dimittere voluit, quam misso Bedefordiam nuntio et diligenter inquisita veritate certificatus fuisset. Sed et apud nos eodem suscepto, licet plurimorum præcurrisset testimonium, tunc primo nobis satisfactum est quum prædictorum summam litteris et testimonio civium Bedefordensium confirmatam audivimus. Direxerunt enim nobis apices in hunc modum continentes:

Burgenses Bedefordiæ, conventui Cantuariensi et omnibus fidelibus in Christo, salutem:

Sciat conventus Cantuariensis, necnon et omnes Catholici,

Deum in Bedefordia mirabile et insigne miraculum propter merita sanctissimi martyris Thomæ operatum fuisse. Accidit enim quod quidam rusticus de Westonia, Eilwardus nomine, pro quodam furto, pretii unius nummi tantum, captus et ante vicecomitem de Bedefordia et ante milites comitatus ductus, ab iis in publico condemnatus, extra villam Bedefordiensem oculos et pendentia, astantibus clericis et laicis et mulieribus, amisit. Quod etiam testatur capellanus de sancto Johanne Bedefordiæ cui prædictus rusticus, post mutilationem, confessus est. Et hoc idem testatur hospes ejus, Eilbricthus nomine, apud quem postea hospitatus fuit, quod oculis et testiculis, quando primo apud eum hospitatus fuit, omnino caruit ; qui postea sæpius invocans merita sancti Thomæ martyris, gloriose et mirifice apparitione prædicti martyris sanitati restitutus est.

Huc usque Bedefordensium super hoc miraculo testimonium. Quid ad hæc martyris æmuli dicturi sunt? Exclusa est in hoc omnium, ut ita dixerim, miraculorum miraculo omnis miraculorum objectio; nec habet pars adversa qua confusionis declinet opprobrium. Nam quod membris supra memoratis revera privatus fuerit, comprobat adversariorum suorum malignandi libido nocendique collata potestas; ipsi enim hominem mutilaverunt, qui eum maxime oderunt. Sed etsi ei pepercissent, non solum ipsi, sed et omnes qui ne cassaretur judicii sententia testes astabant; et quotquot eum condemnaverant periclitarentur:—si in regiæ potestatis injuriam condemnatus evasisset indemnis: unde admiranda Dei sapientia, qui comprehendit sapientes in astutia sua, mirabiliter provisum est; ut oporteat eos vel timorem omnidum postponentes miraculum confiteri, vel signum negantes inevitabilibus exponi periculis:—adminiculatur autem veritati testimonium perhibentibus, testium qui affuerant multi-

tudo, et firmissimum argumentum veritatis, novorum oculorum diversitas; et tam eorum quam reliquorum membrorum in principio parvitas. Pro variis enim oculis, quas natura dedit, alterum varium, alterum nigrum suscepit. Quis audivit unquam talia? aut quis vidit huic simile? magna fides prædicti hominis, magnum fidei meritum, magnum et meriti prœmium.

II.

Fidei vel meriti non minoris juvenis de Longa villa, Radulfus nomine, contagio lepræ percussus, quum xenodochii cujusdam colleprosis pactum inierat definito, quid eis pro convictu esset daturus. Jam enim voce rauca, fœdo anhelitu, membris ulcerosis, pustulis in facie tumida et lurida jam jamque emergentibus, sanis cohabitare non poterat. Miraculorum vero gloria circumquaque diffusa, non minus martyris confisus meritis, quam confusus de propriis, sanctam Cantuariensem ecclesiam adiit, coram sancti sepulcro se prosternens, et in lacrimas totus effluens, devotione mira miro ex dolore concepta, miris se votis inter orandum obligasse auditus est. Hierosolymam enim se ob martyris amorem spopondit iturum; de omni pane, quo reficiendus esset, tres eleemosynas facturum; in cibis quadragesimalibus jejunaturum bis in sabbato, feria videlicet tertia qua martyr occisus est, et feria sexta qua Christi martyr crucificatus est, et, in devotæ servitutis signum, denariorum quatuor oblatione caput proprium annuatim a sancto redempturum. Stetit autem Cantuariæ diebus novem, et aqua sancta diebus singulis tam potus quam lotus melioratus abscessit. Nos vero principium bonum fine meliori sperantes conclusum iri, plurimum instantes postulavimus abeuntem ut penitus emundatus cogitaret de reditu, et spopondit; et factum

est. Dum iret mundatus est; lætitia denique de se suis reportata, quem lepra tabidum dimisimus, evoluto mense, elegantissimæ formæ juvenem recepimus. A Pentecoste igitur fere usque ad Adventum Domini nobiscum, integerrimus, sanissimus, speciosus, et absque macula, commorans, tandem, quasi Hierosolymam profecturus, recessit, domumque reversus, (nescio quo occulto Dei judicio) adeo leprosus apparuit, quod nemo unquam extiterit contagio lepræ sordidior. Causam deteriorationis ejus Ille novit, qui ei, quem sanaverat, dixit: " Ecce jam sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat."

III.

Iteratio primi miraculi conceptam nobis duplicavit lætitiam. Ut enim viri venerabilis magistri Edmundi, Coventrensis archidiaconi, benevolentia edocti cognovimus, alius de archidiaconatu suo leprosus a memoria martyris memorandi sine macula reversus est. Sed quia et ipse archidiaconus solo id auditu cognovit, et

> Segnius irritant animum demissa per aurem
> Quam quæ sunt oculis demissa fidelibus,

quanquam fidem verbis ejus habentes, noluimus tamen id scripto commendare, nisi remisso ad nos cum litteris decani sui leproso certiores efficeret. Desiderii nostri effectum assequuti, sicut audivimus, ita et vidimus, et concordantibus apicibus narrationibus archidiaconi, hominem cum pace dimisimus; apices autem decani in testimonium retentos, hic congrue satis inserendos esse putavimus. Erant enim tenoris hujusmodi:

" *Conventui Cantuariensis ecclesiæ, Jaffridus decanus de Cestertona, salutem et orationes in Domino.*

Quoniam in beati Thomæ multitudine miraculorum mentis nostræ viscera delectantur, quæ penes nos contigerunt, vobis diligenter denudare destinavimus, ut augmentum lætitiæ generent inter cætera a vobis collata. Ecce igitur quid factum fuerit, quod fecit Dominus et ostendit nobis. In diocesi nostra quendam virum, Humfridum nomine, per triennium scimus revera ægrotasse; qui fere omnium membrorum subtracto vigore, ulcerum jam præminente hispiditate, a cohabitantibus dictus est lepra percussus, et ejus accessu vitato dignus ab hominum segregari consortio. Hic autem vir prædictus corporis tum dolens tum erubescens ægritudinem sacra sanctorum multorum adiit loca spe sanitatis corporalis adipiscendæ. Elapsis diebus multis lapsum est in ejus mentem beati Edmundi regis et martyris merita, gratia curationis, expetere, ubi gloriosi martyris Thomæ jam circumquaque divulgatis miraculis, audivit pro certo per ejus merita leprosos mundari, claudis gressum restitui, cæcis visum reparari, febricantes ad priorem reduci faciei colorem; quibus auditis, licet invalidus, pro viribus tamen ad sanctum Thomam proficisci properavit. Ad hunc itaque directis orationibus, mox per aquæ gustum salutiferæ ægritudinis longævæ a capite ad pectus, a pectore ad ventrem, a ventre ad tibias, a tibiis in nihilum sensit descensum. Ipse ergo regrediens pro sanitate sibi in reditu reddita Deo sanctoque martyri gratias referre neglexit. Ad nos autem, celans in corde miraculum, quod propalat in facie sua Dominus, rediit, mihique tandem quod factum est retulit. Cujus audiens fere incredibilem veritatem ad vos illum remitto, ut suppleat sancto quod minus fecit."

Huc usque literarum tenorem, quas ab archidiacono nobis perquiri lingua nostra exoravit, exaravit calamus. Quid ad hæc dicemus? cui servorum Dei martyrem Cantuariensem

plene assimilare poterimus? et cui illum comparabimus? Si modernos objicias, nihil tale reperies; si ad antiquos recurretur, etsi non similitudo similis tamen copia denegatur. Lepram fugavit Moyses sed Mariæ solius: multi fuerunt leprosi in diebus Elysei, sed nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus. Nec credimus vel sub veteris testamenti serie vel tempore grave quenquam Dei servum facile reperiri, cujus meritis tot leprosi fuerunt vel emundati vel emendati sunt, sicut manifeste docebunt sequentia; veruntamen, ne fastidium generet ejusdem miraculi continuata repetitio, de reliquis leprosis pauca interponendo disseramus.

IV.

Inter officiales regis, bonæ opinionis miles et salvo honore regio martyris viventis amicus, Odo de Phaleisia, dum inter battuendum minus caute se parma protegeret, virga colludentis adversarii graviter in oculo dextro percussus, fere per septennium solius sinistri officio ministerium sibi creditum fuerat exequutus, erat enim regiorum computator redituum. Anno igitur quo gloriosus pontifex Thomas cursus sui certamen compleverat, æstate proxima, postquam morte temporali vitam mutavit æternam, quum miles idem una dierum intermissarum secretæ solito devotius orationi insisteret, martyris memor, quem tenere dilexerat, crudeliter occisum tenerrime deflere cœpit. Erumpebant enim lacrimæ, et non poterat se continere; quumque manum lacrimis detergendis admoveret, restitutus in usum pristinum oculus prolatam manum ante vidit quam sensit. Hæsitans autem oculum sinistrum clausit, et quod dextro revera videret comprobavit. Vidimus eum ad sancti memoriam cum votis et muneribus venientem, ita tamen humiliter et abjecte ut et gestus mendici mentiretur et habitus.

V.

A martyris memoria peregrinus quidam revertens urbem Roffensem ingressus est, pernoctaturus ibidem; passum ubique repulsam hospitii famula Gilleberti pistoris episcopi Roffensis pro martyris amore suscepit. Aberat idem Gillebertus cæterique curiæ Roffensis juvenes, quibus esse solebat eadem domus quasi familiare triclinium. More tamen solito nonnulli eorum supervenerunt sub noctis initio. Attulerat autem secum peregrinus prædictus ampullam stagneam, aqua sancta Cantuariensi repletam. Dum igitur medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, casu succenditur civitas; grassatur ignis ubique et æstiva siccitate ventique, ut solet, adjutus impulsu, totius urbis minatur excidium. Conterritis et confusis omnibus, singuli sibi diffidunt, nec sufficit quisquam propriis intendere rebus. Exsiliunt juvenes præfati cum peregrino, domumque conscendentes repellere nituntur incendium, sed invalescentis ignis domumque proximam jam concremantis calore repulsi citius desiliunt, peregrino solo, cujus erat fides igne materiali ferventior, super tectum domatis intrepide remanente: cui hastam vel longum aliquid postulanti furca porrigitur. Accipiens igitur sanctuarium, quod a collo sibi dependebat, cujus etiam, ut credi potest, munitus refrigerio tantæ tamque propinquæ flammæ calorem sustinuerat, summitati furcæ colligatum propius opponit incendio. Miram viri fidem mirabilior sequitur virtutis effectus, flamma quæ, vario prius agitata discursu domus, super quam stabat, lambebat aristas, statim quasi elementum contrarium expavescens, immo martyris

potius in elemento virtutem, erecta in cœlum stare videbatur immobilis. Testati sunt etiam nonnulli, qui affuerant, vidisse se totum illum globum flammeum in partem flecti contrariam, si quando peregrinus ampullam propius impegisset. Aderat ibi inter alios ejusdem urbis civis ditior, qui visa visione mirabili duodecim solidorum pretio peregrinum inde conabatur avellere, ut domum suam, quæ similem cæteris exitum expectabat, ejusdem sanctuarii tueretur præsentia. At ille, "Si," inquit, "omnia civitatis hujus spolia contuleris, nequaquam impræsentiarum hinc discedam. Hæc me domus pro beati Thomæ martyris amore suscepit hospitio: hæc ejusdem suffragantibus meritis ab instanti periculo liberabitur." Concremata itaque tota civitas facta est in combustionem, et cibus ignis, sola illa domo in medio incendii manente indemni.

VI.

Domos quoque Willelmi de Gernemue benignitas martyris ab igne conservavit illæsas; qui videlicet Willelmus, quum villa succensa domibus suis inevitabile cerneret imminere periculum, "Sancte Thoma," inquit, "martyr gloriose, succurre, ignemque repelle: si domorum mearum fueris liberator, ero servus tuus et peregrinus in proximo." Castigato statim igne, obtinuit quod rogaverat, implevit opere quod ore devoverat.

VII.

Gudonis filium de Perindonia Willelmum eo usque infirmitas deduxerat, ut absque omni signo vitali jacens, humanis rebus excessisse putaretur. Æstimantes itaque parentes pueri, quod proculdubio expirasset,

clamantes et ejulantes exiliunt. Hinc mater convocatura vicinos, hinc pater secretius ploraturus in horto, anxii pro filio, nescio utrum dicere debeam moribundo, martyrem Cantuariensem inter anxios discursus invocant, et ex clamore lamentantium martyris nomen resonat vicinia tota. Pater in horto consistens contra civitatem Cantuariensem gemebundus respicit, et flexis genibus martyris corpus quamvis de longe salutat. Post paululum vero, utrique domum ingressi puerum redivivum inveniunt, quem se revera mortuum crediderant reliquisse; qui post dies octo in pristinum reductus vigorem liberatori suo præsentatus est et nobis ostensus.

VIII.

Vidimus et alium cum illis Baldewinum testificantem se septimanis quinque lecto fuisse affixum, nihil aliud quam aquam se toto illo tempore gustasse, Dominicis duntaxat diebus exceptis, in quibus allatum ab ecclesia, ut moris est, panem benedictum quasi pro communione sumebat. Mox ut de salutifera martyris aqua gustaverat, non solum incolumitatem, sed et plurimum se suscepisse vigoris gaudebat.

IX.

Residebat sub divo sanctimonialis cujusdam ecclesiæ, quæ a Cantuariensi quasi viginti septem passuum millibus distare creditur, et devotionis magnæ munusculum præparabat, zonam videlicet martyri offerendam. Incidunt repente aquæ de cœlo; sanctimoniales confidentes sub tectum confugiunt, illa vero cœpto insistens operi loco omnino non est mota. "Intra," inquiunt aliæ sorores, "Lecarda, intra quantocius." At illa, "Vere non intrabo,

neque hinc movebor: nonne sancti martyris Thomæ sum operaria? si voluerit et opus suum et operariam ab imbribus defendat et injuria." Multiplicatæ sunt igitur aquæ, et in circuitu ejus aquæ tempestas valida; operaria vero martyris in medio imbrium residens, dimidia humectata est et dimidia sicca remansit. Nam a vertice incipiens partem ejus posteriorem pluvia madefecit, zonam vero ejus vel anteriorem ejus partem præter quam pedes ne una quidem stilla tetigit. Vocavit itaque duas e sororibus, et seipsam illis ostendit, ut essent miraculi tanti testes et consciæ. Et missa est nobis zona, et juxta martyris corpus in memoriam signi suspensa.

X.

Insigne præterea miraculum audivimus in villa Staffordiæ fuisse ostensum, de aquæ scilicet conversione in sanguinem. Quod qualiter contigerit ipse narrarem nisi fidelis et religiosi viri Albini videlicet abbatis de Dereby literas et testimonium narrationi meæ præferrem. Misso enim ad indagandam veritatem nuntio, hujusmodi ab eo literæ priori Cantuariensis ecclesiæ directæ sunt.

Amico in Christo carissimo Odoni, ecclesiæ Christi Cantuariæ priori, Albinus abbas de Derebi, eternam in Christo salutem. Sicut falsitatis crimine argui meretur, qui falsum profert ex animo, ita et falsitatis reus constituitur, qui tempore suo testimonium denegat veritati; hoc namque, ut ait scriptura, Christum negare est. Nos igitur, super veritatem requisiti, veritati testimonium perhibemus; et scimus quia verum est testimonium nostrum. Noscat igitur dilectio vestra, quod quidam burgensis de Staffordia, nomine Reimerus, gravi infirmitate corporis vexatus, aquam beati martyris Thomæ a quodam milite, qui eam a vobis

attulerat, impetravit, cui nomen Willelmus de Warrenna. Quæ quum per quendam nuntium prædicto Reimero allata esset, vas, in quo beata aqua posita fuerat, inventum est vacuum, et manus prædicti nuntii sanguinolentæ apparuerunt. Hoc autem miraculum viderunt et testificati sunt uxor jam dicti Reimerii et Nicholaus filius suus. Quo viso, idem Reimerius, Deo gratias agens, quæ jam contigerant cuidam sacerdoti nomine Willelmo in spiritu manifestavit; et rogavit ut eidem vasculo aquam benedictam infunderet, quæ infusa in sanguinem conversa est. Hoc autem ego et Henricus et Willelmus et Osbernus presbyteri, et Nicholaus et Odo diaconi, et prænominata mulier Aileva et filius suus Nicholaus, vidimus et testificamus. Item jam dictus Henricus aquam beati martyris, quam a nobis attulerat, converti vidit in sanguinem, quod et ego vidi, et eandem aquam cum ampulla sua priori de Lantonei præsentavit.

Huc usque prædicti abbatis super hoc miraculo testimonium. Sed et clericus archidiaconi Staffordiensis administrans, quum ab illis partibus advenisset martyrem adorare, interrogatus, nobis confessus est accersivisse se presbyterum, qui et aquam pyxidi infusam benedixit et sanguinem ex ea factum in ecclesiam suam duobus clericis illum comitantibus, intulit. Exegisse se etiam ab eo super hac mutatione dexteræ excelsi juramentum; illùm vero, tactis sacrosanctis, tanti miraculi testimonium perhibuisse.

XI.

Sed adhuc forsitan impossibilitati videntur esse vicina quæ scripta sunt, quasi aquam nequeat in sanguinem commutare, qui et de aquis vinum fecit, et vinum in sanguinem proprium convertit; verum, ut in cordibus dubitantium

nihil relinquatur ambigui, qualiter idem signum quarta repetitione confirmatum sit, producamus in medium. Helias quidam miles et præpositus prædii, quod Anglice Froila nuncupatur, a Cantuaria reversus ampullam allatam cum aqua in ecclesia suspendit, non ausus in domo propria communem ægrotantium medicinam retinere. Porro militis ejusdem armiger domino suo minus circumspectus et providus ampullam, quam et ipse eodem repletam sanctuario a Cantuaria retulerat, domi reposuit. Currebant ergo ad ecclesiam, qui in parochia eadem medicina egebant, et medicinæ Cantuariensis virtutem in seipsis experti sunt. Presbyter autem Ranulfus, vir, juxta opinionem nostram, Deo et sancto martyri valde devotus, nulli, nisi biduano vel triduano indicto jejunio laticem salutarem administrabat. Multi ergo ex parochianis audientes abierunt retro, dicentes, 'Durus est hic sermo; utquid nos jejunabimus pro illo qui pro nobis nunquam abstinuit.' Et audivit mulier quædam, quæ domus prædicti militis custos fuerat deputata, quod aquam presbyter nonnullis negasset; et uni ex mulierculis, cui negata fuerat, locuta est; "Quare," inquit, "jejunares? veni ad me, et ejusdem laticis tibi copiam dabo." Domumque reversa ampullam armigeri furtim subripuit; et aquam sequenti se mulieri datura, vidit dominum domus introeuntem, et timuit; et aqua in ciphum, quem promptum habebat, transfusa, ne furtum perciperetur, rursus ampullam, alia repletam aqua, in locum suum restituit, mulierculæ præcipiens ut veniret in crastino. Qua mane veniente ut munus promissum reportaret, accessit illa ad arcam ut promissum impleret, ciphum extraxit et sanguinem spissum et congelatum invenit. Expalluit præ timore; et in clamores magnos fœmineo more prorupit. Accurrunt servientes domus, clamoris causam sciscitantur et audiunt.

Venit et dominus domus miles prænominatus, et ex confitentis voce talis commutationis aliquam esse causam perpendit. Mittitur itaque pro sacerdote prætaxato Ranulfo. Accurrit et cum aliis intuentibus totus inhorrescit. Erat enim sanguis, ut prædictum est, spissus et coagulatus, ita ut frustatum dividi posset, quasi venas quasdam subnigras habens interjacentes, utpote sanguis hominis excerebrati: quicquid eo tangebatur, tingebatur ut murice. Acceptum ciphum cum sanguine sacerdos in ecclesia reposuit et multis diebus conservavit. Timens vero ne substantiam cruoris desiccatio minueret, aut omnino ad nihilum deduceret, aquam apposuit, unde et dissolutus est: tandem vero desiccatus. Remansit ciphus tamen in fundo totus ex desiccato sanguine cruentatus, qui et nobis ab eodem sacerdote allatus et commodatus est. Quid, fratres carissimi, quid putamus voluisse Dominum ex hoc eventu cordibus nostris imprimere? Dicant alii quod sentiunt; mihi tria videntur insinuata; primo, quanta sit Christi et martyris similitudo, dum ille vinum iste aquam vertit in sanguinem; quum tamen et hic et ibi Dominus operatus sit; secundo, quantas reliquias habeant, qui aquam cruore martyris sanctificatam asportant, eo quod multi asportantium conquesti fuerunt abire se sine reliquiis; tertio, quanta reverentia digna sit et cum quanta devotione sumenda, quam mulier irreverenter dare voluit, et talem repperit qualem nemo posset haurire. De singulis latius explicarem, sed sapientibus satis dictum esse æstimans ad alia tendo: grandis enim mihi restat via.

XII.

Ex ore ejusdem venerabilis presbyteri tria miracula suscepimus delectabilia satis et digna referri. A mamilla

cujusdam parochianæ suæ, Seileievæ nomine, miræ magnitudinis apostema perturbaverat. Ut enim ipsis ejusdem presbyteri verbis utar, ligni grandis exterminati grossitudine coæquatum videbatur; venit illa et se sacerdoti ostendit, et indictum ab eo triduanum suscepit jejunium; quo expleto apostema sacro liquore lavit, et die postero usque ad nucis vel glandis parvitatem reductum invenit. Lavit iterum, et in crastino illud disparuisse ostendens sacerdotem non mediocriter lætificavit; quia enim totius corporis humores ad mamillas dicuntur confluere, sollicitus valde timidusque extiterat, ne, rupto apostemate, mulier usque ad exhalationem spiritus exhausta periret.

XIII.

Secundum quoque nobis recitavit de fratre suo Everardo, ecclesiæ beatæ Virginis Mariæ apud Wintoniam capellano, viro in tota urbe valde dilecto, quem, apud ecclesiam de Suthwich, in thalamo Prioris nocte quiescentem, quum corporis necessitas de lecto vocaret, paralysis repentina surgentem percussit, et progredi conantem ab altis gradibus labi coegit. Excitatus a sono corruentis Prior excitat alios dormientes, accensisque candelis ocius advolans invenit eum omnium sensuum usu destitutum. Portatus est æger in domum infirmorum, et erat ibi septem diebus non videns, et non manducavit neque bibit. Jacebat enim morienti quam viventi similior. Auditum est autem Wintoniæ quod obiisset, et data est præbenda ejus alii clerico; libri ejus distributi, res ejus distractæ; et congregati sunt ad eum nonnulli amicorum ejus atque parentum, de quibus unus erat frater ejus, a quo ista accepimus, præfatus videlicet presbyter Ranulfus; qui etiam Priori paralyticum, jam in extremis agentem, canonicare volenti

dissuasit, dicens; "Quid prodest homini sine sensu et intellectu habitum religionis conferre? nullum ei conferet meritum habitus quem nescius susceperit, mali autem causa esse poterit. Ab hac namque habitus mutatione confirmationem traheret præbendæ illius donatio, rerumque suarum distributio:" et post pusillum, "Estne," inquit, "aliquis in hac villa, qui vel modicum aquæ sancti Thomæ martyris habeat?" Inventa est autem aqua, et allata est et ori ægroti viri spirantis tertio infusa. At ille statim loquutus est et ait, "Si Deo placuerit, Cantuariam adibo;" rursumque obmutescens jacebat ut ante jacuerat. Discedens igitur frater ejus Ranulfus Wintoniam perrexit, res ejus distractas revocaturus, aut super eis melius dispositurus. Quumque ad mensam consedisset, introivit serviens ejusdem fratris sui, quem paralyticum reliquerat, et ait illi; "Adest dominus meus frater tuus." Ille vero existimans illum mortuum afferri, respondit, "Nonne ibi apud canonicos debuit sepeliri?" at nuncius, "Nequaquam: ecce venit." "Et quomodo," inquit, "venit? allatus in feretro?" "Non in feretro," ait, "ut infirmus aut mortuus, sed equo insidens ut vivus et vegetus." Stupebant autem omnes qui eum audiebant, et mirabantur si vera essent quæ dicebantur. Maxime vero super fratre mirabantur, quum audirent venire, quem quasi mortuum reliquisset. Et dispersus est rumor iste per civitatem, et exiit ei obviam de civitate multitudo virorum non minima, qui eum decessisse audierant et redivivum videre desiderabant; moræque impatientes longius ab urbe quasi duo millia passuum progressi venientem exceperunt; et videntes gavisi sunt gaudio magno valde. Et introduxerunt eum in civitatem et congratulabantur ei, vel quia illum dilexerant, vel potius quia eis 'mortuus fuerat et revixit; perierat et inventus est.

Propter hoc enim maxime venit ei obviam turba; quia audierant in illo factum fuisse hoc signum. Restituta est ergo illi præbenda sua, et cætera quæ sui juris extiterant. Clericus autem, ad quem translata fuerat, post dies paucos defunctus est. Hæc ut rudi stylo conscripta sunt, sæpedictus Ranulfus ægroti frater nobis asseruit; quæ et oculis suis vidit et auribus suis audivit. Ægrotus enim, immo jam nunc sanatus, nec infirmitatis nec eorum quæ circa illum gesta sunt reminisci dicebat, excepto quod, quum rediisset, equos suos adduci sibi rogavit, et ascendens statim Wintoniam, quasi duodecim millia perrexit, ubi et turbam stupidam sibi occurrere obstupuit.

XIV.

Visitavit itaque martyrem præfatus Ranulfus, non solum his miraculis invitatus sed alia quadam necessitate coactus. Tribus illum hebdomadibus morbus acutus attenuaverat, nullo interim cibo gustato. Desperatus est a medicis; legatis omnibus quæ habebat, non nisi mortis adventum expectabat. Et recordatus est quadam die Sabbati novi Anglorum martyris; et votum vovit ei, dicens: "Erige me, martyr gloriose, de lecto, et veniam ad te." Eodem die gustavit; surrexit, et equo ascenso, ad horreum, quod ei in secundo miliario erigebatur, spatialem exivit. Domum tamen regressus, præ debilitate nimia vix valebat subsistere. Die vero sequenti ab ecclesia reversus, melioratum se sentiens, equos tibi sterni præcepit, itineri se promisso daturus. Dissuadentibus, qui ejus debilitatem noverant, non acquievit: sed iter aggrediens, quasi quadraginta passuum millia eodem transvolavit. Nullo tamen labore confectus est; sed quasi ex ipso labore vires recipiens, sanissimus pervenit ad martyrem.

XV.

Admirationis magnæ signum paucis absolvam. Equestris ordinis homo Ausfridus de Siringis in Sussexia provincia ducebat in bono dies suas cum desponsata sibi uxore prægnante. Mulieris autem impletum est tempus pariendi et parere non potuit: filium quidem conceperat, cujus non mater esset futura sed sepulchrum: diebus quindecim se fœtus in utero materno non moverat. Jacebat funus in funere: mortuum in moriente, ante subtractum quam visum: ante sepultum quam natum, computruisse putabatur vivens ex mortuo: obstupuit, desperata est; "Quid agimus?" inquit paterfamilias; "quid agimus? desperantes sedemus, et martyris Cantaariensis non reminiscimur;" et arrepto filo, cum invocatione nominis ejus morientem commentitur, spondens martyri munus oblationis; quod illa vovere non volebat; mille passus nemo post votum confecisset antequam peperit; sed fœtum exanimem itaque decoctum ut carnis in olla ferventi decoctæ instar videretur habere. Et evasit mulier quam interius computruisse credebant; et viro suo comitante martyrem visitavit. Et audivimus vocem ipsorum ista narrantium, testibusque illorum et lacrimis uberrimis fidem habuimus.

XVI.

Homo quidam apud sanctum Audomarum, Lambertus nomine, fecit cœnam magnam et vocavit multos. Gaudentibus illis et epulantibus, elegantis formæ juvenis Alelmus, qui unus erat ex cumbentibus, postillum incidendum arripuit, et evadente cultello pollicem sinistrum, usque ad unguis medietatem, fidit. Exclamavit autem confestim, et ait: "Adjuva, Deus et sancte Thoma." Erumpit sanguis cum

impetu, et juvenis, pudore actus, infortunium suum, quantum potest, abscondit; pollicem clamydis suæ ora involvit. Quærunt considentes utrum læsus sit: qui ait "Nequaquam, volente Deo et sancto Thoma." Allata est aqua, postquam comederant, ut sanguis ablueretur, et pannus, quo pollex involutus constringeretur; ablatus est cruor; dolor ablatus: vulnus quæsitum nec inventum. Et obstupuerunt omnes, aquam totam cruore aspicientes infectam, pallium etiam ipsius cruentatum, et qua cruor exierit nequaquam invenientes. Medicus enim quem invocavit vulnus non solum curaverat, sed nec aliquam in pollice reliquerat vulneris cicatricem. Narravit igitur juvenis audientibus omnibus somnium suum quod nocte viderat præcedenti, quod etiam mane ante casum illum quibusdam narraverat. "Putabam," inquit, "me et beatum martyrem Thomam ad mensam considere, simulque comedere, sanctumque mihi de cilicio suo reliquiisque conferre." "Vere," inquiunt, "tecum fuit hodie martyr in mensa, ad cujus invocationem tam repente curatus es."

XVII.

Infirmatus est in gremio materno Weremundus fere trimus, Wielardi filius apud Beilinum, et extalis prominentibus cruciatu repente ad mortem dispositus. Vocatæ sunt mulieres contra periculum hujusmodi peritæ, quæ, omnem adhibentes diligentiam, nihil proficere potuerunt. Effusa sunt tandem per anum viscera: oritur clamor parentum: clamore attoniti vicini accurrunt spectatum; venit et presbyter et desperantes parentes desperationi magis ac magis alligat, dicens, "Si non esset in mundo homo alius, non posset puer iste mortem evadere." Affuit ad idem spectaculum ignotus quidam; et ait ad patrem desperati

"Profecto si aquam Cantuariensis martyris haberes, filium tuum sanum reciperes: qui enim me ab insania liberavit posset et hujus pueri viscera in locum suum revocare." Quærentibus illis aquam martyris erat qui diceret haberi eam in pago vicino mille passuum intercapedine disparato. Quod quum audiisset pater, festinavit ad locum; reversusque, aquam a Telione Bertranni filio susceptam, pueri jam fere exanimis ori infudit, pollicens martyri pueri oblationem si salvum illum reciperet. Erat adhuc ibi sicut et populus sic et sacerdos, et rei exitum expectabant. Mox vero ut aqua infusa in interiora parvuli descendit, paulatim resarcita sunt viscera ejus, et in ventrem collecta, omnibusque intuentibus surrexit puer incolumis acsi nihil mali perpessus fuisset.

XVIII.

Telionis prænominati filius Hermerus, quum esset quasi septennis, languore correptus post anni unius curriculum surrexit: convaluisse putabatur; sed repente percussus est passione miranda. Factus est enim gradu semper instabili, manibusque et brachiis jugiter se moventibus, aspectu insano, caput assidua rotatione circumducens, ita ut mente captus videretur. Tanta etiam et taciturnitate damnatus est ut fere mutum et elinguem videretur exprimere. Consulit pater medicos non paucos; sed omnes uno excepto fatentur incurabilem. Qui quoniam nimiam exigebat mercedem quantum pueri pater non posset exsolvere, paupertate coactus confugit ad merita sancti. Audiens autem apud portum Wiesandi in ecclesia beati Nicholai de reliquiis martyris Cantuariensis haberi, illuc divertit, et ut portiuncula cilicii, quæ ibi habebatur, in aqua intingueretur, impetravit. Quam quum bibisset puer et ab ecclesia elatus fuisset, conquievit totius corporis motus, rediit loquendi gratia cum sanitate

perfecta. Qui requisitus quomodo se haberet, sanum se et incolumem expedita voce respondit. Reducitur in ecclesiam; Domino gratiarum actio persolvitur.

XIX.

Ab eodem Telione aquam suscepit in vasculo Vidochus de Anoch. Quumque abiens viros duos, quorum neutrum diligebat, obviam sibi venire videret, proposuit illis non salutatis sub silentio pertransire. Aqua vero confestim, acsi ei visibiliter diceret, "Nihil mihi et tibi qui proximos non diligis," quasi de olla ferventi effluxit. Advertit portitor pravum se habuisse propositum, et mente mutata, "Certe," inquit, "salutabo illos," statimque ut pacificatum est cor illius, pacificatam aquam admiratus est.

XX.

Nos quoque non mediocriter admirati sumus Mariæ cujusdam de diocesi Rotomagensi passiones, in quibus fere annum transegerat. Subito enim flebat et subito solvebatur in risum; plaudebat manibus, et post plausum, subito corruens in extasi quasi una hora vel dimidia jacebat. Consultum est ei ut, diebus singulis missam audiens, caput in evangelio, dum recitaretur, supponeret. Hujus remedii bonum effectum sæpenumero experta est, et post audita missarum solennia nonnunquam remansit quieta non libera. Decies in die vel eo amplius passio prædicta redire solebat, et puellam non nisi invite ridentem vel flentem usque ad mortem lassare. Martyre denique invocato quum votum peregrinationis fecisset, quindecim dierum continuam quietem promeruit. Distulit vota persolvere; et ad flagella pristina revocata est, ita ut fierent ei novissima pejora prioribus. Deteriorationis causam advertit; et iter promis-

sum arripiens arrepta non ulterius est. Misimus quoque ad eam postea nuntium, qui nos de liberatione ejus certiores efficeret, quam licet domi non inveniens, liberam eam a vicinis ejus accepit, nobisque renuntiavit.

XXI.

Ludebat cum lapillis Durandus Osberni Augensis cujusdam filius. A matre forte vocatus lapillos in aera sparsit; et mox unum in aurem collapsum involvit. Injecto in aurem digito calculum extrahere conatus est, sed magis magisque impulsu fatigatus dimisit. Accedunt parentes, et eundem laborem conatu inutili aggrediuntur. Acum denique curvatum imponunt in aurem, ut calculum extrahant; sed eo penitus impulsus, sicut calculus ab oculis ita et spes illum extrahendi a cordibus eorum evanuit. Cœpit igitur puer vehementer angustiari, et quasi quandam mentis insaniam clamoribus et ejulationibus, corporis volutatione fateri. Colligatis manibus conservatus est, et ad ecclesiam in crastino ductus. Invocat martyrem pater pro filio et ad filium suum conversus, ait, "Vove, fili, Cantuariam te iturum et martyris visitaturum sepulcrum." "Promitto," inquit, "pater mi." Mirum dictu, uno eodemque momento evolat et verbum ab illius ore et lapis cruentatus ab aure, quem si quis videre desiderat, veniat ad martyrem et desiderii sui effectum inveniet.

XXII.

De confinio Tarunensis et Pontivi tres ægrotos suscepimus, Ernaldum, fratremque ejus Ernulfum, et eorum vicinum Amalricum, quorum Ernaldus mensibus quatuor fistula exhaustus, tumore in gutture et facie prævalente, alterius oculorum lumine fuerat privatus; Ernulfus tantumdem

temporis diarrhœa die noctuque attenuatus; Amalricus obrigescentibus nervis contractus utcunque se portabat. Baculis duobus innixus Amalricus ex quo limen ecclesiæ tetigit, facti sunt pedes ejus et tibiæ quasi plumbum et quasi pondere quodam pressus gradum fixit. Quem tamen quum ad tumbam martyris multo conatu socii sui pertraxissent, inter orationes cessavit dolor; ponderositas evanuit; rediit amissæ sanitatis integritas. Die postera baculos offerens et nobis coram exiliens manifestum sospitatis suæ dedit indicium. Et alter venit, dicens, quod fluxus ille, quem sustinuerat, fluxisset in nihilum. Tertius quoque meliorationem suscepit, et fere usque ad sanæ maxillæ matrem † maximus inferinæ maxillæ tumor descendit. Discessit autem cum sociis suis, et nos de sanitatis inceptæ consummatione dubios reliquit.

XXIII.

Duarum infirmitatum laborabat jactura clericus de Alnewici, nomine Philippus, pedis videlicet periculosa debilitate et horrenda genitalium inflatione; et quem altera valitudinum in desperationem vitæ dejecisset, duplicatus dolor lecto affixit. Desperato igitur a medicis quum forte somnus obrepsisset, æstimabat se quasi in ecclesia quadam coram sanctorum duorum feretris jacentem; surgere vero beatum et gloriosum Thomam martyrem de altero feretrorum, et his eum verbis affari: "Vidisti me, Philippe, et plurimum, dum in hoc sæculo viverem, dilexisti; et in hac ergo vita tibi proderit et in futura:" manumque a capite jacentis usque ad ilia pertrahens, inflatione nimia distentum genitalium folliculum digitis arripuit et unguibus per-

† The text is apparently corrupt here.

foratum dimisit. Et ait ad quendam astantem; "Solve calciamentum de pedibus tuis:" quo facto, sublata sunt clerico simul somnus ab oculis, doloris impedimentum a pedibus, a genitalibus horror tumoris, et advertit non extitisse somnium, quali solet homo sæpe deludi; ex hoc maxime quod earum partium pellem unguibus martyris revera diruptam invenit; se vero, evacuato folliculo et ad pristinam exilitatem per effluxum reducto, in aqua valde copiosa jacentem. Surrexit itaque incolumis, et ultra magna terrarum spatia Cantuariam venit.

XXIV.

Ejusdem filius Johannes dolorem capitis habebat, totumque corpus plenum pustulis ante et retro. Martyris aqua singulas lavit, et martyris visitationem in somniis promeruit, salutem sub tali conditione pollicentis: "In brevi sanaberis, si Cantuariam te voveris perrecturum." Qui, excusso somno, omnia apostemata dirupta invenit, et in brevi redintegratus debitum peregrinationis iter arripuit.

XXV.

Epilentica de prædicti Philippi familia Cantuariam venit: de aqua martyris bibit: rediens morbo caduco ultèrius non cecidit.

XXVI.

In hospitali colleprosis plus anno cohabitaverat miles leprosus de Lisortio, nomine Gualterius; a quibus accepta licentia Lisortium ad uxorem suam perrexit, sumptaque expensa Cantuariam properavit; ubi aliquandiu commoratus rediit, et in reditu se redditum sensit sanitati. Reverso autem ad agros proprios restituta sunt ei omnia quæ sui

juris extiterunt, et habuit deinceps communionem cum hominibus, et habitavit cum illis. Quod quum audiissem, misi qui rei veritatem diligentius inquireret; et invenit eum graviter ægrotantem, sed nullam lepræ maculam habentem.

XXVII.

Lepræ similiter contagio Eilgari de Calnis tabescebat corpusculum, prominentibus per totum corpus pustulis: manibus pedibusque contractis et ulcere plenis, et ad insensibilitatem ex magna parte dispositis, naribus obturatis, anhelitu fœtente, etiam uxori propriæ viluerat, et dimisit eum. Qui confugit ad martyrem, et ante sepulcrum ejus precibus effusis et lacrimis obdormuit. Et vidit quasi transeuntem quempiam juxta se atque dicentem; "Surge homo; vade domum, et esto sanus." Surgens autem paruit imperatis. Et domum regrediens ex innovato gradiendi vigore magnum in se sensit sanitatis initium. Nam quoscunque præcedere videbat gradiendo postposuit, quum Cantuariam pergens nec lentissimos comitari potuisset. Redintegrata itaque carne et reflorescente plurimum emendatus est, sed arbitrio meo non plene mundatus. Curatis enim ulceribus ita cœpit reflorescere ut, qui eum ante non vidissent, ad lepram putarent dispositum, et qui eum noverant, mirarentur sic alteratum.

XXVIII.

Referente viro illustri comite videlicet Simone cognovi quæ narro. Pistorem suum Ernaldum hydropis enormiter distenderat. Qui ferme biennio ægrotans et semper in deterius vergens, cecidit tandem in lectum, et quasi anni dimidii languit intervallo; et indoluit dominus ejus quod

eum amissurus esset, medicisque loquutus non invenit vel unum qui curam illius habere præsumeret, manifestantibus in eo signis quibusdam quod ei hepar computruisset. At ille sanitatis suæ spem latam medico Cantuariensi committens, sola nominis ejus invocatione ad ambulandum roboratus est. Festinat Cantuariam; excubat noctu in ecclesia, solutione repentina locum Deo dicatum dehonestat. Mane vere quum in se de se plurimum erubesceret, mundo et prorsus impolluto pavimento nihil inhonesti repperit. Gracilem itaque et incolumem dominus suus eum recepit, et immensas Deo et martyri gratias egit.

XXIX.

Adduxit etiam filiam suam Julianam Girardus Roffensis habentem cilia oculorum sibi invicem cohærentia et inseparabiliter unita. Tentatum est enim satis, satisque probatum nihil in hoc fuisse fictionis vel fraudis. A mense quarto diem non discrevit a nocte. Tactis itaque ciliis mirifico cruore regressi sunt pater et filia; filia in nocte cœcitatis, pater in nocte mœroris. Reversis utrisque domum, et martyrem, eo quod eos non exaudisset, increpantibus, apertis repente oculis restituit puellæ videndi gratiam, patri lætandi materiam.

XXX.

Nobis quoque lætitiæ fuit causa Lætitia nomine puella, patre nobili sed matre ignobili genita, de territorio prædioque, quorum nomina propter sui barbariem subtraho. Huic, quum jaceret in cunis, oculi papilla festucæ punctione lassa est, et usque ad annum ætatis quartum decimum ejusdem usum sibi doluit esse subtractum. Eunte quadam matertera sua, quæ illam educaverat, orationum gratia, Can-

tuariam, volente nolente materteram puella sequuta est. Super caput martyris caput reclinavit, solvitur in soporem. Excitata, oculi sani cilia manu comprimit, oculumque circumducens tunc sanatum, "Matertera," inquit, "oculo certe video, quo non videbam:" at illa secreto, "Tace," inquit, "filia, tace, et caput adhuc super sancti repone sarcophagum." Reposuit illa, et post paululum ex integro curata surrexit.

XXXI.

Sanctus autem qui sic innocentem illuminavit, militem Glocestrensem ad se indigne accedentem cœcitate percussit. Dicebatur vero Gaufridus cognomine malæ artes; de prædio cui Cherletona vocabulum. Hic sanus inter infirmos accedens ad martyrem, sanguinis et aquæ mixturam oculis suis poposcit imponi. Negavimus, videntes eum minime indigentem; institit tamen; importunitate vicit; discessit. Ab urbe quasi septem passuum millibus elongatus, cœcitate percussus est, tantoque dolore affectus ut dicere posse videretur, 'Vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor similis sicut dolor meus.' In se autem reversus interiora cordis sui respexit, et omnem domum conscientiæ suæ evertens, dregmam, quam perdiderat, invenit. Animam itaque sub pedibus transeuntium incurvatam ad Dominum erexit, et ejectis per ostium confessionis peccatorum sordibus, sacramentis Dominici corporis et sanguinis communicavit. Sic illuminatus interius Cantuariam reductus est, et triduana ibidem pœnitentia in cœcitate peracta, lumen recuperavit amissum. Testatus est autem nobis hujus excœcationis causa a nonnullis se peccatis fuisse purgatum, quæ semper in cordis sui secreto

clausa tenuerat; nec ea unquam forsitan nisi per flagellum prædictæ cœcitatis produxisset in medium.

XXXII.

In hunc modum et aliis nonnullis contigit, de quibus erat et Martini piscatoris Bercestrensis mulier Æliza. Quæ duabus cum mulieribus in carri vehiculo a Cantuaria revertens, quum audiret alteram earum conqueri quod nihil videret, quodque malo suo in oculos caliginosos sancti cruoris collyrium suscepisset, in risum soluta ait, "Alios, quos infirmos suscipit martyr, sanos remittit; tu sana venisti, et cœca reverteris: his intersignis memento sanctorum iterum visitare sepulcra." Quumque risu multo dissolveretur, quasi cineribus clibani urentibus oculos proprios sensit respergi: turbatique sunt ab ardore oculi ejus, et antequam se quarto tersisset, dereliquit eam omnino lumen oculorum suorum, et ipsum jam non erat secum. Cœca itaque hebdomadis circiter decem permansit, quæ quum ad pœnas derisionis supradictæ sufficientes dedisset, admonita in somnis Cantuariam rediit, usumque non ex integro impetravit: utrum autem postea defecatis oculis ad pristinam visus integritatem pervenerit nobis ignotum est.

XXXIII.

Verum super rustici cujusdam Abindoniensis cœcitate miraculose continuata, nobis constare fatemur; a cujus miraculi veritate, quia multi deviaverunt verique serenum obtenebraverunt faceti nubilo mendacii, intendant audientes, quid inde veri diligenter investigans invenerim, ut possint discernere lumen a tenebris. Præfatus itaque rusticus cum uxore sua incolumi et fratre suo infirmo martyrem expetiit; sed aliquandiu Cantuariæ commorari volentes rustici austeritas non permisit. Impositos igitur

carro, quantumlibet invitos, usque ad urbem Roffensem reduxit, et ad idem, quod veniens habuerat, declinavit hospitium, ubi cœcos aliquot et debiles de sancti peregrinis contemplatus est susceptos. "Absit," inquit, "ut cum cœcis sancti Thomæ pernoctem; nihil mihi et illis:" interdixitque suis, licet venientibus, ingressum, et egressos in aliam domum induxit. Et obduxit Dominus paulatim oculos rustici cœcitatis caligine; et factus est postera die omnino cœcus, qui cœcos ad martyrem tendentes quasi contagium die præcedenti declinavit. Sæpius ad martyrem recurrit postea, sed semel tantum a lumine nostro lumina sine lumine reportavit; nam et usque in hodiernum diem vivit sed non videt.

XXXIV.

Sic et puero Willelmo filio de Benenvilla evenit imprecatione paterna. Qui, patre cœco Cantuariam adducto, quum moram ibidem facere volenti nullatenus acquiescere volens, discederet, sic ei pater imprecatus est: "Ulciscatur injuriam meam gloriosus martyr in te, qui me lumine privatum in extera et ignota regione relinquis; quia tamen sine te esse non possum, et non est tibi mecum commorandi voluntas, revertar tecum in domum meam, unde exivi. Si modicum pie sustineres videntem me forsitan videres; nunc autem contra spem, qualis veni, talis regredior.' Reduxit igitur patrem filius, et in ingressu civitatis alterius oculorum lumen amisit. Processit tamen plangens usque ad septimum miliarium, et cœcitatis tenebris penitus obtenebratus in medio viæ regiæ cum patre suo, quem ducebat, resedit. A transeuntibus itaque mercede data Cantuariam utrique adducti sunt, sed nescientibus nobis postea discedentes, incertos nos de sanitate reliquerunt.

XXXV.

Portaverat in ore stomachi quasi dimidiam siliginis spicam Segiva Richardi cujusdam filia de Essexia annis fere tribus. Quam, aliis in arena ludentibus colludens, inter anhelosoris hiatus in guttur volantem exceperat: quumque languens putaretur jam dissolvi, supervenit hydropica quædam, tendens ad martyrem, et ibidem pernoctavit. Quæ sanissima a Cantuaria revertens aquam Sancti secum reportavit. Et puellæ periclitanti potum tribuit, statimque spica usque ad partem gutturis inferiorem exiliit, ibique quasi dies quindecim resedit. Sicque nutu divino et sanctuarii, ut credimus, virtute, spica expulsa est sanguine denso et congelato involuta acsi frustum carnis esset cruentatum.

XXXVI.

Plenam dæmonio mulierculam, Matildem nomine, de partibus Coloniæ adductam conspeximus, et coram nobis mire insanientem abhorruimus. Nam et linteum, quo solo corpus contexerat, in minutias scidit; et cuidam, eam amovere volenti, non fictis viribus alapem impegit. Parvulum etiam sibi occurrentem suffocasset, nisi a circumstantibus citius fuisset ereptus. Alligata itaque coram martyre quasi quatuor aut quinque horis insanivit, donec eam per sanitatis beneficium respexit. Expulsus vero spiritus nequam inhonesta egressionis suæ reliquit vestigia. Illa quoque in seipsam paulatim rediens in crastino sibi ex integro restituta est. Retulit autem idiomate suo, nobis vix intelligibili, vidisse se in somnis martyrem, pontificalibus indutum, habentem per obliquum faciei tractum illum sanguinis, de quo et in passione * ejus fecimus mentionem,

* See the preface.

et infirmitatis suæ modum percunctantem, se vero ostendisse sciscitanti et corporis passionem et mentis. Tunc sanctum promisisse sanitatem sibi, et ad apostolorum limina seu etiam beati Jacobi ecclesiam iter peregrinationis injunxisse, sic eam absolvendam esse promittens. Quærentibus etiam nobis, qualiter in insaniam conversa fuisset, narravit quod frater suus juvenem, qui eam tenere diligebat, occiderit; unde et seipsam amentia correptam parvulum suum die præcedenti baptizatum pugno percussisse et sustulisse de medio. Discessit igitur a martyre sana et læta, criminis sui tantum veniæque sollicita.

XXXVII.

Libet et de ludis martyris vel pauca causa recreationis seriis interserere; quia et ipsi ejus ludi seria sunt. In jus tracta coram judicibus agebat venerabilis matrona Sybilla super dote, qua eam privignus suus satagebat privare. Venit puella, quam martyr ab alienatione mentis sanaverat, et pro sancti Thomæ nomine aliqua sibi vel victus vel vestibus impendia poposcit impendi. Nomini matrona reverentiam exhibuit; denarium petenti porrexit, solius oboli sibi relicti non solum conscia sed et certissima. Quod enim nihil aliud præter obolum in marsupio remansisset, tactis sacrosanctis jurare paratam et promptam invenimus, quum non dubitemus simplici ejus verbo esse credendum. Dum ergo sedeus super causa ventilata judicum præstolaretnr sententiam, manum ad marsupium suum casu adhibuit, et denarium priori similem sed quantitate præstantem offendit. Admirata est plurimum, et ad unum militum considentium conversa, "Redditus est," inquit, "mihi denarius quem dedi pro martyre." Mussitantibus illis adhibuerunt aures et milites alii et circumde-

derunt eam novitatis amores non pauci. Videns vero mulier, quia latere non potuit quod acciderat, publice confessa est quod ante secreto detexit. Ostensus est autem astanti multitudini denarius, et non sine admiratione visus. Nulli tamen a muliere dimissus: factum est enim ei argentum hoc pretiosius auro, et denarius hic mundo obrizo.

XXXVIII.

Miraculum refero præmisso non longe dissimile. Beati Thomæ visitaturus memoriam Ricardus vicecomitis clericus Devoniæ votum vovit in corde suo nemini se in peregrinationis itinere eleemosynam negaturum in martyris nomine postulanti. Præcepit itaque cuidam servienti suo ut sibi minutam procuraret monetam. Erogatis autem quadrantibus omnibus, quos ei serviens administraverat, motus est animo quod sibi insufficienter providisset. Oportebat enim eum vel votum cordis infringere vel singulis pauperibus singulos donare denarios. Quum ergo pauper accurrens in nomine sancti stipem quæreret, ille, manu in marsupium conjecta, obolum extraxit: occurrit mendicus secundus et ille nihilominus obolum invenit: venit tertius et tantumdem accepit. Affuit quartus egenus, et quartus obolus dolori non defuit: quinto quoque postulanti quintum obolum porrexit; sicque deinceps non rogatus Cantuariam pervenit, via emensa, moneta expensa. Asseveravit autem nobis idem vir venerabilis, interposito juramento, certissimum se esse, quod nullum prorsus obolum secum attulisset.

XXXIX.

Quod eo fidelius firmiusque credendum est, quod et sibi

similiter contigisse, asserit Randulphus subprior ecclesiæ sancti Augustini, Anglorum apostoli, sive apostolorum Petri et Pauli, in Cantuariensis civitatis suburbio, in apostolorum quidem honorem dedicatæ, sed a beato Augustino nomen sortitæ. Prædictus itaque Randulphus ad urbem Roffensem pro negotiis ecclesiæ profecturus, et a dispensatore domus Haimone Rogerii filio quinque solidos ad expensam suscepit. Expensi sunt inde denarii pro equorum ferramentis, pro stramentis, et ad alia quædam servientium negotia. Ipse quoque pauperibus pro martyris amore eleemosynam rogantibus tres obolos erogavit. Quumque, perfecto negotio, domum reversus denarios excussos numerasset, non solum quinque solidos sed et tres obolos superabundantes invenit. Et advocans unum ex servientibus, "Nonne," inquit, "de denariis istis expendimus?" at ille, "Expendimus in illo et in illo negotio; tu quoque obolos tres pro nomine beati Thomæ tribuisti pauperibus." "Et quomodo," inquit, "non solum quantum tuli, tantum retuli, sed et obolis tribus super abundo?" Et admirati sunt scientes non esse in conscientia sua quis pecuniam expensam restituerit vel auxerit restitutam. Nos autem sicut et ipse, ex superabundantis eleemosynæ prius impensæ quantitate et quantitatis identitate verisimiliter conjicientes, non ambigimus miraculum extitisse.

XL.

Naves a Londoniis navigantes in finibus Norwegiæ, quo tenderunt, applicuerunt, quæ variis mercibus oneratæ quum ad reditum paratæ essent, astitit martyr piissimus Thomas juveni Londoniensi Henrico, in una navium in lecto quidem quiescenti, sed febribus graviter laboranti. "Dormis," inquit, "O juvenis?" at ille, "Dormiebam,

domine, sed excitasti me: quisnam es tu?" "Ego sum," ait, "Thomas Cantuariensis civitatis archiepiscopus, cave omnimodis ne in ea redeas navi, in qua venisti: aliam ascende; sic imminens evades periculum. Navis enim prædicta confringetur in reditu, et non erit qui, quod suum est, inde eripiet: tu vero, si mihi acquieveris, etiam a febribus liberaberis." Expergefactus est juvenis, soporatus est iterum; iterum sanctus in somnis affuit, iterumque præcipit et inculcat ei quod ante commonuit. Retulit itaque juvenis idem commonitionem, quam accepit, cuidam ex sociis suis, quem cæteris amplius dilexit. Qui ambo merces suas in aliam navem videlicet Londoniensis Reignerii transponentes, Londonias flatu prospero advecti sunt: juvenem quoque febricitantem febris dimisit in mediis fluctibus. Porro navis, quam reliquerat, scopulos ignoranter incurrens, confracta est: qui vero in navi erant tam navem, quam omnia quæ portabat, fluctibus et scopulis dimittentes, cymbam insiluerunt ut saltem salvarent animas. Hæc a prætaxato juvene accepimus, qui martyri venit offerre cum gratiarum actione munus oblationis.

XLI.

Ex oblatione viri alterius inusitatum et magnæ pietatis apprehendimus miraculum. Venit enim vir unus de Bristo ad martyrem, nomine Ailwinus, qui aureum obtulit et recessit. Quumque intueretur monachus, qui ad tumbam residebat, quod oblatio ejus longe discordaret habitu (erat enim homo habitus valde abjecti) revocatum interrogavit quare pauper sancto aureum præsentasset? "Votum," inquit, "vovi martyri et reddidi: dum enim nuper ab Hibernia navigarem, navis mea in sabulum incidit vivum, et in sabulo fixa consedit. Quanto vero amplius laboraba-

mus ut de periculo instanti ejiceretur, tanto eam absorbebat arena. Jam fere usque ad supremum tabulatum videbatur submergi, quum desperantes omnes in cymbam parvam desilivimus saltem vitæ nostræ volentes esse consultum, nam de navis vel rerum nostrarum recuperatione spes non supererat. Tunc ego, " Martyr Dei Thoma, si cujus meriti es apud Deum; si quid potes; si miraculum aliquod unquam fecisti; navem meam mihi restitue. Sepulcrum tuum visitabo, si fecceris, aureum tibi oblaturus." Navi itaque dimissa navigavimus in navicula ut evaderemus ad terram, et quasi stadiis octo a navi elongati sumus; quumque diutius in remigando vexaremur, a navi semper æque distare videbamur. Hortabamur ergo nos invicem ad laborem, sed quanto amplius navigavimus, tanto ad navem accessimus. Cessantes tandem ab inani labore, modicum expectavimus, et ecce, navem, quam velo expanso et fere absorptam reliqueramus, absque rectore venientem advertimus; venientem, quasi a Deo oblatam nobis receperimus. Ascendimus; prospere et absque damno applicuimus. Hac de causa martyrem visitavi; aureum obtuli." Hæc quum dixisset, licet testibus careret, credidimus ei, ex simplicitate ipsius, et oblatione vestibus ejus male respondente, veritatis argumentum trahentes.

XLII.

Unde nec minus ei credendum esse censuimus, quam aliis tribus, qui signi non minoris dederunt testimonium. Aiebant namque et se in navi extitisse, quæ per noctem in simile devenit periculum; quumque omnes metu mortis ad sanctum clamassent et flexis in navi genibus Dominicam dixissent orationem, apparuisse illis hominem visibiliter in vestibus candidis super mobiles ambulasse maris undas.

Qui, apprehensa navis prora, navem longius in profundum impegit, ita ut sonus fluctuum ejus longe valde posset audiri, et ipse evanuit ab oculis eorum. Hujus rei testes astiterunt tres viri prædicti, parati etiam, tactis sacrosanctis, nos certificare quod in navi eadem tunc extiterint, et oculis suis personam illam per umbras conspexerint.

XLIII.

Alii, tempestate sævissima quassati, turbine ventorum pulsi in locum maris periculosissimum, quem nautæ Catenas appellant. Erant in navi juvenis Exoniensis Alfredus et quidam clericus, in quorum ore beati martyris nomen jugiter resonabat; dicente clerico nihil esse timendum, eo quod ipse martyrem oculis suis in navi vidisset. Confortati itaque nautæ anchoram dimittunt; sed æstu maris ventique violentia navem impellente, excurrit funis anchoræ cum impetu, et excurrens crus prædicti juvenis et femur casu illaqueat et juvenem in præceps trahit. "Sancte," inquit, "Dei Thoma martyr, ex quo non placuit tibi salvare me in corpore, conserva vel animam." Arripiunt tres juvenes astantes funem currentem; frangitur annulus anchoræ; anchora in profundum devehitur, funis cum juvene retinetur. Crus tamen illius et femur, quæ circumplexus fuerat funis, usque ad os exesa sunt. Hæc satis satisque mirari poterit, qui in periculis marinis consuevit. Non est enim admirationis parvæ iis qui in talibus exercitati sunt, quod vel annulus anchoræ sit confractus, vel funis impetuose evadens a tribus tantum hominibus sit retentus; quum in tempestatibus non annulus frangi soleat, sed anchora; et funem nec mille retinere homines, quin in profundum ferretur, nisi præcautum fuisset ut ingeniose dimitteretur.

XLIV.

Navigabat in Britanniam minorem Eilwecher Doverensis; et, orta tempestate, tres anchoras emisit, quas et funibus ruptis omnes amisit; ad terram tamen evasit, invocato martyre. Redeunte serenitate rediit cum sociis suis in mare anchoras quæsiturus, eo quod locus, ubi eas amiserat, non longe a terra distabat. Tribus diebus quæsitum est, et nihil inventum. Ait ergo unus ex ipsis, "Promittamus et martyri Cantuariensi anchoram ceream ut ferreas nostras nobis restituat." Consenserunt omnes; statimque dimisso in aquam instrumento, quo maris fundum scrutabantur, omnes anchoras extraxerunt. Reversi itaque in Angliam venerunt ad martyrem: munus attulerunt quod promiserant.

XLV.

Ivonem quoque de Ley et multitudinem navium non modicam, longinquas Norwegiæ regiones petentem, tempestas comprehendit. Dormiebat in Ivonis ejusdem navi presbyter; cui Sanctus apparens, "Presbyter," inquit, "dormis? surge, commone socios tuos ut dicant singuli vigies pro anima patris mei orationem Dominicam, et non peribitis." Factum est ut imperavit, et repulsi sunt prospere et absque damno ad portum unde exierant. Reliquæ vero naves omnes dispersæ sunt; quædam vero illisæ et confractæ; nonnullæ vero submersæ. Hæc a clerico quodam Lincolniensi Roberto, qui in eadem navi ab eodem evasit periculo, audivimus. Multa sunt præter hæc hujusmodi, sed

unus idemque cibus
Non sine fastidio sumitur assidue.

XLVI.

Morbo laborabat acuto juvenis quidam usque ad mortem, et martyris aquam ab assidentibus amicis anxiis exigebat. Non habentibus illis cucurrit unus ad fontem, vas aqua repletum afferens: "Ecce," inquit, "aquam sancti quam postulas." Credidit ægrotus et bibit, et salubriter deceptus salutem statim est adeptus. Mox enim, a morbo relictus, reliquit lectum, nihil adversi præter solam debilitatem sentiens. Ipse idemque juvenis nobis hæc non solum retulit, sed et illum, qui aquam hausit de fonte, et alios testes adduxit.

XLVII.

Intumuit post sanguinis minutionem et ad lapidis instar induruit brachium totum cum manu et humero militi de Norfolko, Guarino cognomine Grosso, et usque ad pectus et cordis fines se tumor videbatur extendere. Vix adverteres quanto brachium trunco corporis ejus esset exilius; inter hujus et alius grossitudinem vel nullam vel modicam diceres esse distantiam. Apposita sunt emplastra multa, unguenta plurima, quibus se tumor expressit potius quam repressit. Miles tandem desperatus est: et quasi in extremis agenti, custodia diligens adhibita; novissimum medicamentorum, appositum est Cantuariense remedium, et mira illa miri martyris aqua brachium morientis aliquotiens lotum. Dum ergo quasi in transitu miles jaceret, visus est ei martyr astare et dicere: "Surge, Guarine, prosternere coram me." Facere se estimabat ut fuerat impetratum. Tunc sanctus, "Itera quod fecisti." Paruit ille et tertio audivit a martyre "Etiam tertio idem facies." Quo facto visus est ei martyr quibusdam astantibus hæc eadem verba proferre: "Abstergite sudorem ejus in loco aquæ benedictæ." In his verbis

statim erexit se reseditque, mirantibus qui morientem custodiebant, brachiumque, quod in nullam partem ante flectere potuit, dolore fugato, non minus alio agile ostendit. Denique citra diem sextum septimumve tumor evanuit. Quæsitus a milite quo modo sancti verba intelligerem, subtilioribus subtilius ea intelligenda relinquens, sic ea simpliciter exposui : Abstergite sudorem ejus, id est, laborem infirmitatis ejus auferte : abstergite inquam in loco aquæ benedictæ, id est, in brachio, ubi aqua mea benedicta et sancta fuit apposita.

XLVIII.

Erat in territorio Leircestriæ canonicus de valle sancti Johannis de Crokestrune, nomine Robertus, vir plenus dierum et usque ad ætatis decrepitæ fines progressus. Habebatque vir ille super oculum inflaturam grandem, quæ oculum quasi supplantando jam jamque videbatur eruere. Qui oculo valde prominente quum una dierum extra chorum sederet, casu pertransiens quidam ex fratribus advertit faciem ejus cruentatam esse, oculumque crutum pendere in facie. Adducitur ad abbatem ecclesiæ Willelmum, a quo et accepi quod refero, qui anxius admodum et quid facto opus esset—oculo enim eruto pupilla mirum in modum ab albegine videbatur expulsa—dixit tandem iis, qui aderant, fratribus, ut ducerent illum ad altare, et aqua beati martyris, quæ ibi servabatur, lavarent oculum, ea scilicet intentione, ut, per merita sancti, et pupilla in locum suum revocaretur, et oculus in statum tantummodo restitueretur pristinum. In chorum ductus est, lotus liquore sancto et in claustrum reductus. Vix stadium perpeti cursu quis transvolasset, quum accedens quidam ad eum videndum, qui oculo illum eruto nequaquam viderat, caputium sublevavit et pupillam

in oculum et oculum in locum suum restitutum repperit. Et ad abbatem conversus, "Quid," inquit, "tristaris, domine? vere nihil habet homo iste mali, nisi ut prius habebat; nec additum est quicquam ad infirmitatem ejus pristinam." Et facta est omnibus et singulis admiratio læta et mira lætitia.

XLIX.

In eadem abbatia alius quidam vehementer erat turgidus; cujus ventrem, ut breviter sit dicere, aqua martyris gustata ad pristinam gracilitatem reduxit.

L.

Apud beati Pauli ecclesiam de Bedefordia residentibus canonicis et hora statuta in claustro colloquentibus, sensit unus ex ipsis, Stephanus nomine, quasi prunam in collo ardentem; conversusqne ad unum qui assidebat, "Vide," ait, "unde mihi collum tam vehementer uratur:" at ille conspiciens, "Vesica," inquit, "subnigra est, aspectuque valde deformis." Et post pusillum, "Respice," inquit, "adhuc, quid esse velit; vehementer enim crucior et uror." Ille vero intuens, "Beatam virginem et martyrem!" exclamare cœpit, quatuor asserens jam emersisse primæ per omnia consimiles. Pulsato interim signo concurrunt omnes ad horam; ille autem, quem dolor angebat, ad altare progrediens, collumque sancti martyris aqua humectans, priusquam in chorum ad sedem seu ad stationem propriam esset regressus, et angustiam omnimodam amisit, et vesicas omnes evanuisse tactu quoque probavit. Hæc mihi Roeis comitissa retulit, sicut et ab ipso eodem Stephano accepit.

LI.

Quum turbæ multæ irruerent ad martyrem nostrum et

de civitatibus properarent ad eum, incidit in mentem uxoris Ingelranni de Goltona militis Eboracensis voluntas eadem, quam et domino suo intimavit; addiditque mulier dicens "Ducamus nobiscum et filium nostrum." Stabat autem puer oscultans parentes, verbisque maternis ita respondit: "Sanus sum et incolumis; quid cum martyre facerem?" Increpat pater stultum pueri responsum, manuque ad eum castigandum extensa, effugientem nec læsit nec tetigit: et abiit puer scholisque vacavit, nullipendens quod ore deliquit. Et mortificatum est nocte illa brachium ejus et prorsus insensibile factum est, ita ut nec ignem appositum nec ferrum impositum sentire valeret; nam et acu sæpius compunctum et perforatum est, sed nihil in eo sensibilitatis inventum. Mittitur a parentibus puer per loca diversa; medici plures super eo consuluntur: nihil reperitur auxilii. "Ecce" inquiunt, "habes quid agas cum Cantuariensi martyre: cito promitte quod pridie præsumpsisti negare," et spopondit. Vidit itaque nocte sequenti sanctum in somnis habentem illum sanguinis tractum per obliquum nasi sinistræque maxillæ a fronte descendentem, quem et vidimus illum habere quum in ecclesia sua jaceret, gladiis impiorum occisus. Dixitque ad puerum; "Vide, puer, ut hoc eodem anno ad religionem te conferas: surge, esto sanus." Dixit et factum est. Excusso enim ab oculis ejus somno, excussam a brachio brachii, ut ita dixerim, mortem ostendit; brachium extendit, et itineris laborem, quem perficere putabat infirmus, sanus inchoavit. Audivimus postea ab ejusdem villæ presbytero puerum prædictum apud Fonteines religionis habitum induisse. Domum namque reverso iterum sanctus in somnis apparuit, iterum, ut ad

* See the Preface.

ordinem monasticum se conferret, commonuit. Et respondebat ei puer, et intervallis parvis intercurrentibus interrogabat : " Ubi, domine ? quando, domine ?" aliaque plura in hunc modum. Et audiebant parentes puerum, per intervalla temporum loquentem, vox autem loquentis cum eo penitus non audiebatur, nec videbatur persona ; quum tamen, caligine nocturna repulsa, mirabilis quidam splendor totam domum illuminaret, ita ut puerum ipsum, et cætera omnia quæ in domo erant, perspicue viderent, dicebantque ad invicem, " Sustineamus aliquid videre quod videre non possumus." Discedente vero splendore, quum puer evigilasset, quæ viderat et audierat parentibus retulit paucisque diebus interpositis, in cœnobio, quod ei sanctus assignaverat, religioni se monasticæ contulit.

LII.

Apud castrum Willelmi de Vernone quod Nean vulgus appellat, in Mabiliæ Stephani de Aglandris filiæ utero inflatura quædam, lapideam habens duritiam, emersit, et annis fere tribus, licet medicis renitentibus, in eo radicavit. Multi medicinarum periti, ut curaretur, dederunt operam ; qui omnes tandem desperantes desperatam dimiserunt. Tanta denique doloris vehementia lecto receptam cruciavit, ut miris quibusdam ac insolitis membrorum jactibus in insaniam se jam jamque converti insinuaret. Quindecim jejunio dierum debilitatam homines duo in lecto vix retinebant ; succedebant sibi invicem, nunc calor nimius nunc frigus immensum ; nunc inflatura crescebat, nunc minuebatur ; nunc fixa erat et immobilis, nunc mobilis et laxa, huc illucque pellebatur. Dum ita puella sine morte moreretur, institit unus ex notis ejus Cantuaria revertens, aquamque martyris afferens, quatenus ad beatum illum mentem levaret,

ut ille alleviaret eam; ad illum preces dirigeret, ut eam ille de lecto erigeret. At illa, "Non potest me adjuvare, juvisset quippe si posset: clamavi enim ad ipsum multoties, et non exaudivit me." "Insta," inquit, "adhuc, votumque martyri vove adituram te ad sepulcrum illius abjectis lineis, vehiculo contempto, pedibus nudis." Vovit; et, ut memini, de martyris aqua gustavit. Statim in momento ruptus est tumor ille interius, et per virginales incorruptæ virginis meatus prædicta illa corporis corruptio, non paulatim sed impetu uno, effluxit: erat autem quasi aqua nigra spissa, turpissima. Surgit eadem hora puella, gracilis et sana sed debilis. Iter promissum mox cupit arripere, sed a suis nec etiam multum deambulare permittitur; metuunt enim ne debilem in gravius periculum labor inducat. Sternitur ei lectus pannis mundioribus: paucis diebus quiescere compellitur. Audivit aliquis prædictorum medicorum convaluisse Mabiliam, et ait; "Mentitur quicunque hoc asserit; impossibile est enim ut mortem evadat, quam ei sua minatur infirmitas." Perrexit tamen ut videret eam, et sanitatis ejus modum audiens, obstupuit lætus et credidit obstupefactus.

LIII.

Prægnantem Elizam de Middletonia hydropis corripuit uteri, quæ tumorem indies horribiliter auxit. Incidit in lectum: jacuit desperata: quoties se in latus vertebat, audiebat in utero sonum sicut sonum aquarum multarum, et murmure rauco aquas esse intelligebat. Quæcumque herba, quæcunque potio, quodcunque medicamentum ei dabatur, nihil virium, nihil efficaciæ, nihil utilitatis, sibi inesse ostendit. Omisit mulier medicinas; medicos cœlestes invocavit; vovit se ad beatum martyrem Edmundum,

ad Leonardum confessorem mirabilem, ad gloriosam virginem Margueritam, et ad quosdam alios. Sed sicut non valuerunt herbæ, ita nec sancti, quos invocavit, valuerunt succurrere. Proli vero necdum natæ sollicita malensque illam in lucem educi, quam vitam propriam in tanto dolore produci, uterum sibi rogabat aperiri, infantem extrahi; ut, quamvis non natus, renatus tamen fonte sulutari vel viveret vel moreretur Domino. Porro neminem reperire potuit qui hanc pietatem impiam præsumeret. Diebus quinque laboravit quasi parturiens: fætu tamen nec modicum se movente in utero. Erant ibi quasi obstetrices septem, quarum consilio etiam Cantuariensis martyris auxilium postulatum est. Vovit illa visitaturam se martyrem, si se prius visitatam sentiret ab ipso. Adhuc verba ipsius erant in ore ipsius, et mira Dei misericordia descendit super eam. Statim namque per totam domum sonus auditus est grandis ab utero jacentis, ruptoque intrinsecus, quicquid illud fuisset, exsiliit per infantis nascituri vias aqua multa valde; cujus contactum obstetricum manus præ calore ferre non poterant. Peperisse se putabat mulier, et ait, "Remansit adhuc unus in utero: geminos enim, ni fallor, habui." At mater ejus, "Habes," inquit, "filia, habes adhuc onus in utero, unde te putas exoneratam. Secundo igitur et tertio aqua, sicut prius, cum tanta exiliit copia, ut ad duo vel tria sextaria videretur posse contingere. Sic ejecto, quod infanti præcludebat egressum, peperit masculum mulier, et ad sanitatem evadens, quod martyri sancto promisisset non tradidit oblivioni.

LIV.

Possem et de alia hydropica de Merstona subnectere; sed ne lectores fastidium trahant unde delectationem habere

debuerunt, hoc solum dixisse sufficiat, quod horrendum inflata per aquæ Cantuariensis gustum et martyris invocationem usque ad pristinæ gracilitatis pulchritudinem detumuerat.

LV.

Adducebat mulier a finibus Gualensium, qui se Britones appellant, parvulum a matris utero cœcum, et puellam insanam. Puella in via menti restituta est: puer Cantuariæ ita emendatus, ut nec cœcum eum dicere audeam, nec illuminatum; nam et lucernam, ante oculos ejus deductam, huc illucque sequebatur, tamen viam, qua incedere videbatur, videre non poterat. Quod idcirco dixisse velim, ne de parvis magna loquens fimbrias videar velle magnificare, quod et nonnulli tam de ipso eodem puero fecerunt quam de alio quodam juvene Willelmo de Horsepol apud Sirwede, nobis prorsus ignoto, qui cœcum se dicebat venisse, et nullum cœcitatis suæ testem et assertorem produxit. Videntem, fateor, vidi, quum discederet: sed cœcum non vidi quum veniret. Et quum multis apud nos diebus moram fecisset, ut amplius in visu proficeret, ut mihi visum est, in eodem semper statu permanebat.

LVI.

Insanivit hebdomadis quinque clericus de Heddecliva juxta Grimesby, nomine Gualterus. Amicorum suorum parentumque devotio salutem ei a martyre impetravit: voventibus enim illis quod eum ad sanctum transmitterent, rationem mox recuperavit, promissoque se dedit itineri.

LVII.

Inter alia quoque de beato et glorioso Dei amico Thoma

discere possumus quod legimus de Martino, quia videlicet non solum Martinus faciebat miracula, sed et multi in nomine Martini. Dicam primo quid mihi acciderit. Urgente necessitate, nocte iter agebam uno tantum serviente comitatus : aggrediuntur nos canes tres latratu horribili anxieque insequentes ; trementes valde reddunt ac pavidos. Testem invoco Dominum timuisse me non modicum, ne vel me læderent vel puerum de equo abstractum laniarent ; naturale enim est canibus nocte amplius sævire ad morsum quam in die. Casu occurrit memoriæ quod in vita beati Martini legeram de eo, qui in Martini nomine oblatrantium canum ora compescuit : conversus itaque ad canes " In nomine, " inquam, " beati Thomæ obmutescite." Coram Deo in Christo loquor, ita subito omnes obmutuerunt, ut, post verbum istud, ne unum quidem latratum quisquam eorum emiserit : ora repente putares oppilata vel linguas abscisas ; aufugerunt acsi verbis prædictis verbera sustinuissent. Hoc quoque eadem in nocte secundo mihi accidere miratus sum ; quæ, teste Deo, propter meipsum non refero, nec gloriam meam quæro, sed martyris. Nam et Rogerio monacho ad sacri corporis custodiam similiter deputato res æque vel amplius miranda evenit.

LVIII.

Mulierem de Scotia venerabilem, Edam nomine, virorum illustrium consanguineam, gravissima quædam infirmitas quam in genu sustinebat, privavit incessu. Decem annorum curriculo ne unum quidem fecerat passum, in pallio seu panno aliquo residens : quo mente ferebatur, portabatur et corpore. In grabato Cantuariam allata est et secus martyris tumbam collocata. Accidit igitur die tertio, ut, juxta sepulcrum residens, aquæ salutiferæ potum postularet.

Negavit monachus nisi surgens veniret ad ipsum : at illa, "Decem annis, domine, passum unum non feci, et quomodo nunc ad te venire ?" Monachus ad hæc ; "In nomine martyris præcipio ut surgens venias ad me :" mirabile visu, auditu jucundum, statim surgens non solum pervenit ad monachum, sed et tumbam tertio circuivit, et a tumba longius gradiendo recessit ; solos tamen pedis digitos solo figebat. Die vero sequenti plantam totam affixit terræ ; grabatum, quod, inchoata tantum sanitate, relinquere non audebat, in reditu contempsit, equumque conscendens domum pervenit. Et indies, paulatim proficiens emolumentum sanitatis magnum consequuta est.

LIX.

De prædio Galliæ, quod nomine proprio Pruvinum* nuncupatur, sanum se martyri nostro præsentavit miles Hugo de Tukin, quem in maxilla lancea vulneratum fistula quoque eodem in loco corripuit, et perforata maxilla usque ad supercilia frontemque foraminis terminos extendit. Dant operam, ut curetur, medici peritissimi : carne maxillæ conscissa ossa radunt ; apponunt medicamina ; peractis omnibus tandem succumbunt ; incurabilem asserentes discedunt. Forte accidit clericum illas in partes venientem de aqua martyris afferre. Gustavit miles, maxillam putrem lavit : citra diem octavum fistula desiccatur, redintegratur caro, cutis contrahitur : in brevi convaluit ; martyrem visitavit.

LX.

Annis quoque sex Melaniæ maxillam Willelmi sponsæ

* The Paris MS reads, "De finibus provinciæ, quæ nomine proprio Provincia &c.

de Fontenai fistula deturpaverat. Abiit quasi stadia octo ad locum ubi aquam sancti haberi audierat, maxillam lavit; demum rediit. Priusquam ad domum propriam pervenisset evanuit fistula; vulnus non comparuit; sanissimam se mulier invenit.

LXI.

Ludebat puer cum pueris Robertus Livinæ cujusdam Rovensis filius, et in fluvium Medwie casu lapsus submersus est. Disperguntur pueri colludentes, clamantes Robertulum in amnem corruisse: glomeratur in unum populi multitudo; quæritur puer nec reperitur. Accurrit et mater submersi clamans et dicens, "Martyr Dei Thoma gloriose, redde mihi filium meum;" hæc vox sola matris resonabat in ore. Hora quasi nona in aquam ceciderat; pulsatis vesperis ferro curvo extractus est. Cadente namque illo in aquam rheuma maris fluminis ripas impleverat, quod, extracto puero, in sinum marinum pene reductum erat. Suspenditur pedibus puer coloris luridi, obturatur extalis, os pessulo imposito reseratur ut effluat salum quo turgebat; et non erat vox, neque sensus nec aquæ gutta emanavit. Rotatur in alveo ut nausea provocetur, et fere usque ad noctis supervenientis initium absque profectu laboratur, et jacebat puer absque flatu vitali ita ut dicerent multi quia mortuus est. Tunc mater cum invocatione martyris filo puerum commensa est; ejusdem longitudinis filum pro filii sui vita martyri spondens. Et evomuit statim, quo fuerat præfocatus, et in sanitatem subitam restitutus est: postero die cum coævis lusum solito more perrexit. Hunc igitur licet submersum possimus dicere ab hora nona, qua in amnem corruit, usque ad vesperam, absque anhelitu vivere potuisse propter calumniatorum cavillationes concedimus; nolumus enim martyris mag-

nalia argumentose probare, quia quæ manifesta sunt probatione non indigent. Qui autem miraculum prædictum non magni æstimat, qualiter illud sanctus miraculo simili magnificaverit attendat.

LXII.

In balneo parvuli duo sedebant, alter annorum circiter trium, alter anni dimidii. Sperans amborum mater, quia minoris curam major esset habiturus, ad aream ventilandam exivit; et surrexit major ludere; minor autem in balneo submersus est. Summam hordei mater ventilaverat quum sibi parapsidem præcepit afferri: currens puella ut afferret, triste nuntium asportavit, submersum videlicet infantulum. Expalluit mater mox ut audivit, et infantem de balneo arripiens extra domum in via projecit. Clamante et ejulante illa accurrunt mulieres vicinæ, nam fere quicquid sexus erat virilis vel piscari perrexerat vel metere. Suspendunt pedibus infantem, et ad vitam revocare casso conatu contendunt. Ait ergo quidam ex convicanis, qui ab Hierosolymis redierat, "Utquid laboratis frustra? inferte infantem; diu est quod spiritum exhalavit." Tunc una ex viduis, "Nonne sumus hic viduæ quinque? flexis novies genibus beatum Thomam martyrem invocemus, et in ejus nomine novies orationem Dominicam repetamus, si forte exaudiat." et factum est ita et non surrexit puer. Et ait una ex illis, ad matrem ejus currens, "Affer filum et infantem metire, ejusdem longitudinis candelam martyri promittens:" quod ut factum est, exivit continuo ab ore mortui sanguis et aqua, et post pusillum callia puer complicuit et in ejulatus erupit. Nomen parvuli Gillebertus, matris Vulviva, patris Radulfus Bricthivinni filius de Serris. Ipse vicum de Serris

adii, ut veritarem eliquarem, et cognovi ex eorum testimonio, qui affuerant, quia revera suscitavit eum martyr a mortuis et reddidit eum matri suæ. Erat autem ab hora tertia usque ad horam sextam in balneo decoctus, sexta vero extractus, usque ad decimam vel undecimam sine spiraculo vitæ jacuit, donec tandem, ut prædictum est, resuscitatus revixit. Audet adhuc forsitan obtrectatorum aliquis obviare et anni dimidii infantem asserere dimidio die absque aura vitali vivere potuisse; qui enim incredulus est, infideliter et agit et loquitur. Audiat ergo quæ sequuntur, ut vel conversus pœniteat, vel confusus erubescat.

LXII.

Aggravata est manus Domini super militem nominis magni Jordanum Eisulfi filium, et percussit domum ejus plaga a tempore Augusti usque ad dies Paschales. Et infirmati sunt multi valde in domo ejus, nec fuit qui adjuvaret. Et mortua est nutrix filii ejus Willelmi, cognomine Britonis, morbo acuto, et sepulta est. Tertio vero die post decessum nutricis percussit Dominus et puerum ipsum fere decennem, eodem incommodo, et sublatus est de medio die septimo hora quasi tertia. Affuit presbyter, qui et animam in manus Creatoris commendavit, et pro defuncto constitutas ecclesiastico more celebravit exequias. Toto illo die et nocte sequenti super eum utpote defunctum vigilatum est. De luctu parentum immoderato sileo, quem quilibet etiam simplex imaginari valebit. Supervenerunt eodem die peregrini a martyris memoria revertentes, numero circiter viginti, quos omnes paterfamilias pro martyris amore suscepit hospitio: quos etiam in crastino, quum vellent abire, recumbere fecit et refici. Venit presbyter ut corpus exanime ad ecclesiam ferret et traderet sepulturæ. At pater ait,

"Nequaquam," inquit, "efferetur filius meus quia vaticinatur mihi cor meum nolle martyrem Thomam quod illum amittam; nam et homo ejus fui, dum esset in corpore, et familiaris ejus amicus." Et accepta a peregrinis martyris aqua, ait presbytero, "Infunde in os ejus, si forte reddat mihi martyr filium meum." Admiratus jubentis fidem, immo potius suspicatus insaniam, infudit, et non resurrexit puer. Dilata est ergo corporis exanimis sepultura usque ad horam decimam sive undecimam, expectante patre quid Dominus esset facturus. Suspicatus sacerdos hanc non sani capitis esse voluntatem, ait illi, "Utquid, domine, sepultura differtur defuncti? ecce jam secunda dies defluxit, post quam puer decessit." Et contra ille, "Nequaquam sepelietur filius meus; revera namque testificatur mihi cor meum, quod per martyrem Thomam mihi reddendus sit: afferte aquam domini mei." Quæ quum allata fuisset, accessit corpusque detexit; sublevavit caput, dentesque cohærentes cultello interposito separans, aquam infudit. Et apparuit continuo post infusionem aquæ in medio faciei ejus sinistræ nota ruboris modica, et patrem non modicum lætificavit: infudit ergo iterum, ita ut erecti guttur pueri aqua transiret. Et aperuit alterum oculorum, videnque parentes suos in lacrimas effluere, hæc verba loquutus est: "Cur ploras, pater? quare fles, domina? nolite contristari; en, reddidit me vobis beatus martyr Thomas." Hæc quum dixisset, obmutuit, et usque ad vesperam amplius non est loquutus. Et ait pater ipsius, "Cito afferte argenteos quatuor:" et complicuit duos pro se et uxore sua, duos autem pro resuscitato, ponens alterum in sinista ejus alterum in dextra, promittens offerendum martyri puerum in medio Quadragesimæ: et sedentes observabant eum. Quum ergo advesperasceret, resedit puer; gustavit; loquutus est; et

redditus parentibus suis convaluit. Transiit terminus voto solvendo præfixus, et, intercurrente impedimento, in aliud tempus voti solutio dilata est. Apparuit itaque martyr Domini Thomas cuidam leproso in somnis tribus passuum millibus a militis domo distanti, et rem gestam prorsus ignoranti, et ait, "Guirpe, dormis?" (hoc enim leprosi nomen esse audivimus). "Dormivi," inquit, "sed jam excitasti me: tu quis es?" et martyr, "Ego sum Thomas Cantuariensis archiepiscopus: Jordanum Eisulfi filium nosti?" "Optime," inquit, "domine, utpote virum optimum, qui multa mihi bona impendit." Tunc sanctus, "Vade et dic ei ex parte mea transisse terminum, quem posuit, et vota reddita non esse quæ promisit. Acceleret ergo et ad Cantuariam eat, et pro filio suo, quem Dominus interventu meo vitæ restituit, vota persolvat. Nisi citius iter arripuerit, inducam super eum et super uxorem ejus, malum, quantumque de filio suo resuscitato per me suscepit lætitiæ, tantundem de alio, quem amisit, obtinebit mœroris." Respondit ad hæc leprosus, "Jam anni ferme viginti præterierunt, domine, ex quo lumen cœli non vidi, et pedes debilis jaceo lecto affixus; et quomodo possum ad militis domum pervenire?" Et evigilans, nec magni pendit quæ audierat, nec fecit quod ei martyr injunxerat. Apparuit ergo ei iterum martyr, et ait; "Quare non fecisti quæ dicta sunt tibi?" "Non potui, domine," inquit, "cœcitate et debilitate præpeditus." "Et ait ad eum sanctus, "Voca presbyterum tuum, et pone verba mea in ore ejus, ut annunciet militi omnia quæ præcepi." Accersivit leprosus presbyterum, et ait illi; "Hæc et hæc mandat tibi martyr Cantuariensis." At ille; "Somnium est; ergone viro tanto fabulas et somniorum nenias recitarem? vir magnus et potens est, et tam recitantem quam recitata contemneret;

non me habebis talis nuncii bajulum." Tertio astitit sanctus eidem leproso et dixit, " Quare factum non est quod præcepi?" " Domine," inquit, " pertuli mandata tua presbytero, et audire contempsit; quid ultra facerem?" Et contra sanctus, " Mitte mane filiam tuam pro milite et pro uxore ejus, et proculdubio venient ad te; cave ergo, quum venerint, ne celaveris ab iis vel unum verbum ex omnibus quæ loquutus sum tibi." Mane vocati sunt; venerunt; audientes admirati sunt. Terminum ergo posuerunt quem non transgrederentur, hebdomadam videlicet Quadragesimæ ultimam: sed superveniente comite Wardinensi militis domino peregrinationem distulerunt, et averterunt se, et non servaverunt pactum. Ultimo autem constituti termini die, sabbato videlicet sancto, qui Dominicæ resurrectionis diem præcessit, percussit Dominus acuto morbo alium militis filium, resuscitato magis dilectum, et natu paulo majorem. In crastino parentes ipsi infirmati sunt et cecid-erunt in lectum, et desperati sunt; et invaluit morbus in puero et obdormivit in mortem die septimo, feria sexta Paschalis hebdomadæ. Ægritudinem parentum filii obitus augmentavit; patris maxime qui eum tenerius dilexerat eo quod vultus paternus elimatius in eo videretur expressus. Qui, videns completum iri, quæ per leprosum sanctus pronuntiavit, dixit uxori suæ: "Ecce, domina, quid nobis attulit mora nostra doloris: proh dolor! certe nimis tardavimus; mentiti sumus martyri en secundo, et ecce, filium nostrum amisimus: nos quoque comprehenderunt mala quæ promisit, et exitum similem præstolamur. Oravi pro alio martyrem et reddidit eum nobis, sed quomodo orabimus pro isto vel pro nobis? nihil ulterius martyrem offensum rogare præsumam antequam vota persolverimus: Acceleremus itaque, ne deterius nobis aliquid contingat."

Mirum dictu, in eodem instanti minorata est utriusque infirmitas; audito vero quod ad iter se præpararent, convenerunt ex amicis eorum, suggerentes ne infirmi et debiles tanto se darent labori, maxime propter matrem familias, quæ periculosius laborabat, metuendum esse ne labor itineris ægrotantium mortem maturaret. At miles, "Sive vivi sive mortui, utrique veniemus ad martyrem: aut vivus ibo, aut ferar mortuus: uxor mea vel vivens martyri adducetur vel afferetur defuncta; si noluerit viventes, certe habebit nos vel exanimes." Languebant autem de familia militis viri numero quasi viginti, quorum aliqui hebdomadis decem et septem; quidam viginti et novem vel triginta lecto affixi jacuerant. Profecturis igitur martyris aqua virtutis effectum ostendit: singulos de lecto erexit, ita ut nec unum jacentem relinqueret, qui dominum suum exeuntem longius extra portam vel usque ad portam non deduceret. Uxor ejus, quæ primo die præ labore itineris septies et eo amplius in extasium lapsa est, videns pinnaculum templi Cantuariensis de equo descendit, nudisque pedibus usque ad martyris sepulcrum, quasi milliaria tria, nullo labore gravata perrexit. Simul ergo cum puero parentes pedibus nudis venerunt, reddentes martyri cum uberrima lacrimarum copia vota, quæ distinxerunt labia sua. Ecce ad unum miraculum attendisti et quatuor in uno facta perpenditis. Biduanus resuscitatur; commonitiones et comminationes sancti tertio iterantur; sequitur ultio quam prædixit; convalescit repente quisquis in domo militis elanguit. Scripsimus quoque super his presbytero ipsius occulte, et testimonium perhibuit veritati, rescribens puerum proculdubio mortuum extitisse, et per martyris aquam resuscitatum a mortuis. Quid adhuc desideramus testimonium? Nunquid non hoc solum ad martyris commendationem sufficeret?

O meriti magni martyrem! O magna martyris merita! O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus! Quis unquam excogitaret hanc meritorum prærogativam? hanc martyris dignitatem? hanc Christi et martyris supereminentem similitudinem? ut quemadmodum Christi sanguis animæ a morte perpetua revocatæ vitam confert sempiternam, ita et martyris cruor exanimi corpori vitam reddit temporalem. Quia igitur nullum miraculum gloriosius quam ad vitam mortuum revocare, huc usque scripsisse sufficeret; tanto enim miraculo minoris admirationis signa subjungere, quid aliud est quam post epulas deliciosas vilioris cibi grossitudinem reficiendis apponere? Sed quia, ut ait beatus Gregorius, inter quotidianas delicias etiam viliores cibi suaviter sapiunt, et dum grossior cibus velut pro fastidio sumitur ad subtiliores epulas avidius reditur, libet magnis minora supponere; et quasi quadam ferculorum varietate fastidium propulsare. Prius tamen miracula duo de duobus, qui mortui fuisse creduntur, subnectam præcedentibus, nec minus miranda nec magnitudine multo inferiora.

LXIV.

Igitur in diocesi Norwicensi puella Lætitia Jordani cujusdam filia de Plumsteda quindecim circiter habens ætatis annos, cancro percussa est. Quæ dum virginali verecundia maluit perferre dolorem quam proferre pudorem, serpente paulatim morbo exesa sunt femora ejus et nates, ut ossium juncturæ nervorumque colligamenta paterent. Tandem vero sanam non esse eam vultus indicabat exsanguis: quærunt parentes quid patitur, et magni doloris rumores excipiunt. Ulcerum latitudo pedis mensuram æquabat: tanti fœtores inde prodibant, ut et mater mortem ejus

optaret, et familiares ejus declinarent præsentiam; vicinæ quoque domus in qua jacebat abhorrebant ingressum. Edacis ulcera cancri pannis obvolvebantur, quos tabis evaporantis copia singulis horis mutari cogebat; sedere nec jacere non poterat, sed genibus innitens et cubitis procumbebat in faciem. A tempore messis usque ad mensem Martium laborans tandem ad extrema perducta est: tribus aut quatuor diebus non edulio non potu refecta est, sed residens in lecto, accumbens parieti, genibus contractis, ciliis patulis et immotis, nec viventis nec mortui speciem exhibere videbatur. Unde sui contemplantes arbitrati sunt eam extra corpus raptam, reminiscentes cujusdam mulieris vicinæ, Agnetis nomine, quæ paucis ante diebus quum obdormuisset in Spiritu rapta est, et beata Catherina ducente et ostendente, diebus quinque prœmia pœnasque defunctorum contemplata. Putantes itaque et hanc de corpore similiter eductam, spe reversionis ejus reservabant eam. Factum est autem, dum sic puella resideret immota, ut introiret ad eam sub noctis initio mulier vicina, quæ tenerius eam diligebat, credensque revera mortuam, exclamavit dicens, "Quam male egistis, qui puellam hanc in lecto suo mori permisistis: quare, de more morientium Catholicorum, exposita non est in cilicio? imprudenter egistis." Elata est ergo in exteriorem domum et in aream exposita membris rigidis, frigido corpore, oculisque patentibus, contractis poplitum nervis et utpote in mortuo rigidis et prorsus obduratis: crura nullatenus erigi poterant aut extendi: superpositum est etiam cadaveri linteamen et in morem funeris accensa sunt luminaria. Pater autem, qui seorsum se projecerat, vexatum dolore pariter et labore, excitatus a somno cum clamore irruit: "Nunquid mortua est filia mea?" "Revera," inquit mulier, "mortua est."

Tunc ille, " O beate Thoma Dei martyr, redde mihi nunc servitium meum quod tibi olim sedulus impendi; redde mihi servitium meum; urget nunc necessitas: olim tibi sedule servivi antequam sæcularibus efferreris honoribus: redde mihi servitium meum. Memento, beate martyr, quum infirmus dudum in Cantia in domo Turstani clerici extiteris, qualiter illic tibi servierim: vinum et siceram et cervisiam et omne quod inebriare potest gustare non poteras; et ego tibi per totam viciniam serum perquirebam, quod biberes. * Redde mihi servitium meum; unicum tunc habebas equum cujus et ego curam agebam. Redde mihi, martyr, servitium meum, reminiscens omnium laborum, quos circa te perpessus sum: redde mihi servitium meum; non indiges quod tibi gratis servierim." In hujusmodi clamoribus fere dimidium noctis expendit. Quum igitur toties inculcasset 'redde mihi servitium meum,' ut raucitas ei arctaret arterias, annuit martyris pietas precibus supplicantis, et, ne omnibus servitiis ejus videretur ingratus, puellam sanitati pristinæ restituit; statim namque sub linteo, quo tecta jacebat, manum porrectam ad se retraxit, sed loqui conata præ debilitate nimia nihil intelligibile valebat exprimere. Postero die cibo potuque refocillata est; ipsa vero femora cancerosa infra diem tertium desiccata sunt, et in hebdomadis tribus absque omni medicina carnali, redintegrata. Quibus mirifice completis adiit vir prædictus, pater puellæ Norvicensis episcopi Willelmi præsentiam, rem gestam indicans et literas testimonii petens. Episcopus vero non de pleno fidem adhibuit, sed sacerdote vocato, iisque qui rem præsentes viderant, rem totam didicit ex ordine; quorum testimonio certificatus rei gestæ posset testis existere.

* A curious incident in Becket's life: see the Preface.

Duabus vitæ probatæ matronis ad se vocatis, quæ cancri vestigia considerarent, sanissima esse probavit. Literas ergo sigillo suo signatas nobis destinavit, quod tanquam mortua in aream exposita fuit, testimonium perhibens: sed breviter nimis tangens, quæ superius a nobis sufficienter, ut credimus, translata sunt. Literarum autem forma hæc est:

" *Willelmus Dei gratia Norwicensis episcopus, venerabilibus in Domino fratribus suis, priori sacroque conventui Cantuariæ in Christo Salutem:*

Magnalia Dei, quæ in nostra eveniunt diocesi circa oppressos variis ægritudinibus, ex attenta devotione quam habent erga sanctum Thomam, et ex pura mentium invocatione, quam ipsi porrigunt, vestræ sanctitati innotescere omni desiderio desideramus. Quippe quæ Deus mirificando sanctum suum latere non vult, qualiter apud homines occultari præsumetur. Ut itaque ex testimonio Willelmi sacerdotis cujusdam terræ nostræ et plurimorum hominum nostrorum accepimus, latrix præsentium Cecilia filia cujusdam hominis nostri, ægritudine cancri diu detenta, dum morbus iste circa femora sua anxie serperet, tandem eo usque morbo aggravante oppressa est, ut exanimis reputaretur, et tanquam mortua in area exponeretur, unde anima patris sui in amaritudinem conversa. Confidens tamen de Divina misericordia et de meritis beatissimi martyris † restituta cum scripti testimonio ad vos, ob gloriam tanti miraculi, transmittimus. Bene valete."

LXV.

In prædio territorii Warwicensis, quod Beneclege ‡ dicitur, Hugo cognomento Scotus, boni nominis et opinionis integræ a comprovincialibus suis esse perhibetur. Filius

† This passage appears to be corrupt.

‡ The Lambeth MS. has BENEDEGA.

hujus Philippus, annorum circiter octo, dum ad ferri fodinam profundam et aqua repletam buffones emergentes studio puerili lapidibus obrueret, casu incidens et ipse aquis obrutus est, quem quum pater domum veniens non invenisset, quaquaversum quæsitum, repperit tandem aqua submersum, et extrahit, occidente jam sole, aqua multa distentum, et ut adhuc credit exanimem. Infertur in domum cadaver; vulgus glomeratur in unum et anxio parentum dolori compatitur: tentatur conatu inutili si ei posset in aliquo sedulitas humana succurrere. Tunica pueri lata valde, duorumque puerorum capax, quia ventre distento impleta exui non poterat, a summo usque deorsum scinditur. Suspendunt puerum a pedibus; plantas tundunt, sed aqua non effluente, a spe sua decidunt. Extentus deinde puer super tabulam, accenso hinc inde foco, usque mane custoditur. Orto vero sole, matris consilio ad villam proximam missum est, et aqua beati martyris Thomæ allata est. Quumque mater clausum os pueri dentesque cohærentes, fuso quodam intruso, disjunxisset, casu immisit et digitum; resiliente autem fuso digitus interceptus est et dentibus concurrentibus fere transfixus. Clamante illa interponit primum cultellum; sed, ante quam interceptum mulieris digitum posset eripere, duos dentes anteriores, qui incisivi dicuntur confringit. Volentibus aliis qui astabant ut presbyter vocaretur, ut fierent pro puero exequiæ, ut puer sepeliretur, reclamavit pater dicens, "Adjuvet me ita Deus, nisi eum beatus Thomas hic mihi restituerit vivum, habebit illum Cantuariæ mortuum; illuc enim eum vel vivum ducam vel mortuum portabo: nequaquam hic sepelietur." Et semel igitur et secundo aqua infusa meatus pervios non inveniens refluxit; tertio injecta, nutu divino in interiora descendit; visæque sunt subito fibræ moveri; puer manum prius clausam expli-

alter altero et corpore multo major et viribus longe validior. Debiliorem fortior apprehensum et super se elevatum altius a terra suspendit, ut projectum in terram collidat; minor a terra sic elevatus elevat mentem ad cœlum et breviter orans ait, "Sancte Thoma martyr, adjuva:" erat enim periculum grande et subitum, et orandi spatium breve; testes sunt qui affuerant. Robustior acsi sancti nominis pondere pressus, repente bsu eo quem tenebat corruens superatus est.

LXXVII.

Super nemoribus et feris domini regis Anglorum, quas ceperuat, accusati sunt viri duo et examinationi aquæ addicti. Invocat alter attentius martyrem et altero fure comprobato atque suspenso, evasit.

LXXVIII.

Aliorum quoque hominum et numerum et nomina reticeo qui rei ejusdem rei juste sunt accusati; sed per martyris invocationem ab imminenti periculo martis erepti. Astitit namque per visum uni eorum imperans ut abiret. Excusso ab oculis ejus somno somnio socios lætificat; aqua examinantur; evadunt singuli; omnes simul ad martyrem pro gratiis agendis pedibus nudis et in laneis veniunt.

LXXIX.

Nudis etiam pedibus et laneis tantum venit vestita Agnes de provincia Cornubiæ Willelmi cujusdam relicta, quam dote sua privignus suus privaverat: eis contestata est causa, diutius ventilata; res prius in dubio pendens finem erat acceptura. Possessio adjudicanda privigno; tunc illa, sibi diffidens, votum vovit martyri Thomæ, quod eum abs-

que calciamentis et lino adiret, si desolatæ succurreret. Et conversum est inopinate privigni odium in dilectionem filialem, suæque novercæ quicquid ei ante reposcenti negaverat, absque lite, absque pretio, absque prece restituit. At illa lacrimis evacuata præ gaudio votum statim implevit.

LXXX.

Petri caput de Denintona in Surreiæ provincia capiti taurino tumor coæquabat; vix spirabat. Confluentibus amicis ejus et notis, penitusque de illo desperantibus allata est martyris aqua, et in os desperati infusa. Erat autem domus in qua jacebat secretior, utpote ab aula hominumque frequentia remota. Descendunt igitur ab eo omnes uno tantum remanente cum illo. Vix abierant et ad mensam refecturi consederant; quum ægrotus exsurgens calciavit se currensque in domum sano capite sanoque corpore aquam poposcit; lavit manus, et cum discumbentibus discubuit. Mirantur convivæ ad convivium venisse, quem vix vivum reliquissent.

LXXXI.

In militis domo Hugonis de Codebi contigit quod refero. Alexandro cuidam septenni, eo quod altera aurium nihil audiret, infusa est aqua in aurem, statimque perfectum recuperavit auditum.

LXXXII.

Similiter et in ecclesia Christi Cantuariæ evenit Roberto Anketilli filio de territorio prædicto; aure sinistra nihil prius audientem probavi postquam in ecclesia dormeirat, sinistram habere dextera subtiliorem.

LXXXIII.

Adolescentem præterea suscepimus Lexoviensem Osbernum, literas nobis offerentem hujusmodi:

Dilectis in Christo fratribus et amicis priori et sacristæ et cæteris fratribus sanctæ matris ecclesiæ Cantuariensis Silvester Lexiovensis ecclesiæ thesaurarius, salutem.

Quod scimus, loquimur: quod vidimus, attestamur Puer iste, præsentium lator, multis temporibus conservatus est apud nos in obsequiis cujusdam canonici nostri, qui dicitur Rogerius filius Aini. Et multis jam mensibus elapsis inciderat in imbecillitatem sui corporis, quia factus fuerat herniosus, quod vulgo scilicet appellatur homo ruptus: cujus infirmitatis angustia ita premebatur ut potius mortem optaret, quam in tali diu vitæ tribulatione permanere. Tandem inspiravit ei Dominus ut ad auxilium vestri sancti novi martyris convolaret; voto interposito, quod infra certum temporis spatium ad ecclesiam vestram, in qua martyrium consummasse dinoscitur, iter arriperet, et sepulturam sancti martyris, a quo salutem sperabat, visitaret. O quam admirabile est nomen Christi in sancto martyre suo, qui a die voti infra octo dies sequentes perfectam ei contulit sanitatem. Super hoc quærite veritatem ab eo, ætatem habet; ipse loquatur. Valete.

LXXXIV.

Mirum quid etiam audivimus contigisse in villa Corbeiæ; hominem effossos oculos per beatum et gloriosum martyrem recuperasse. Misso autem illuc nuntio, non effossos sed cultello acuto graviter sauciatos audivimus; tortor enim, quum in iis eruendis laboraret, iratus valde cultellum acuta cuspide extraxit, et oculis totiens totiensque crudeliter infixit, ut gravius esse arbitrarentur omnes sic eos esse vulneratos

quam erutos. Grandis eum arguebant impietatis, qui hominem occideret potius quam excæcaret. Nuntius itaque noster, per ejusdem villæ homines, qui hæc oculis inspexerunt, cognita veritate, quum abbatem Corbeiensis ecclesiæ, cui super tanti inquisitione miraculi scripseramus, domi non invenisset, a Priore conventuque literas nobis testimonii reportavit, in hunc modum continentes.

Domino et venerabili Odoni, Dei gratia Priori Cantuariensis ecclesiæ, A., dictus Prior Corbeiensis et conventus, salutem et obsequium.

Super his, quæ per literas vestras dignum dixistis a nobis inquirere, talia vobis rescribimus. Quidam juvenis, Joannes nomine, ortus de Castro, quod dicitur Valentianos, in oppido nostro repertus et probatus est in furto, ac juxta legis mundanæ decretum, adjudicatus suspendio. Quumque ad horrendæ mortis supplicium traheretur, placuit burgensibus nostris ut oculis tantummodo privaretur et ita dimitteretur ; moxque cæcatus est et graviter in oculis sauciatus ; sicque ductus est ad domum debilium et ab hospitario receptus, qui vocatur Radulfus, qui cœcata ipsius lumina ea et sequenti nocte aqua calida lavit, intuitu miserationis, et refovit, pro doloribus scilicet mitigandis. Die vero tertia, quum ab eo sollicite percunctaretur, utrum ei post excœcationem suam extremæ saltem visionis abitus patuisset, respondit in uno quidem oculorum suorum nihil penitus luminis remansisse ; in altero vero parum quid claritatis admitti, sed tam modicæ quantitatis, quod sine ductore nullatenus posset calle recti itineris in cedere. Affuit ibidem interea quidam puer clericus pauper, qui de ipsa aqua beatissimi patroni nostri et nostro tempore a Deo glorificati martyris Thomæ, archiepiscopi Cantuariensis, in vitreo vase se ferre confessus est, qua

plerique noverant facta fuisse crebra miracula. Acceperunt igitur illius aquæ modicum, et ob honorem beati martyris luminaribus reverenter accensis, oculos prædicti cæci ex ea diligenter abluere curaverunt. At ille visum illico recuperavit, adeo ut ipsorum etiam vulnerum vestigia sanarentur, quæ inflicta fuerant ei dum excœcaretur. Postera autem die sanus et gaudens ad propria recessit. Et, ne super his aliqua in vestro corde resideat cunctatio, testamur vobis quod quidam de fratribus nostris ex ipsa aqua bibens liberatus est a narium profluvio.

LXXXV.

Ecclesiæ Radingensis monachus Gaufridus gravissima infirmitate præventus, et ut putabatur ad extrema deductus: omnium sensuum omniumque membrorum corporis officio privatus est. Quid plura? convenerunt fratres omnes ut eum, ex more, oleo sanctæ unctionis perungerent. Communicavit; obmutuit; penitus desperatus est; quid ageret prius Prior ignorans, "O fratres," inquit, "si est aliquis vestrum qui sciat alicubi aquam sancti martyris Thomæ, in fide Christi modo afferat eam." Mox allata est a quodam fratre ampulla cum aqua, quæ postquam labiis infirmi infusa est, statim solutum est vinculum linguæ ejus, omnesque sensus illius convaluerunt, omniaque membra corporis ejus pristinam receperunt sanitatem, ita ut diceret, "Bene est;" postmodum valide exclamaret, "Deo gratias ago, qui me, per merita sancti Thomæ martyris sui, a maligno perfecte liberavit, qui guttur meum et nasum vehementer constringebat." Itaque evasit monachus et manus dæmonis et dispendium mortis.

LXXXVI.

Scripsit etiam nobis miraculi cujusdam veritatem requi-

entibus venerabilis abbas sancti Remigii Petrus, inter alia dicens: "De monacho Montis Dei nomine Gaufrido refero, quæ veraciter gesta, partim ab ipso, plenius a monacho nostro, qui tunc temporis ibi scribebat, audivi. Forte ab Anglia quum certa miraculorum sancti Thomæ ad nos devenerat, et a nobis ad fratres de Monte Dei, jam dictus frater turgidus et inflatus toto corpore, ut vere hydropicus, cellam egredi non poterat. Accepta itaque cum fide et invocatione sancti nominis carta tetigit pedes, et tibias, et totum corpus suum; et in tantum convaluit, ut parvo tempore interposito ad ecclesiam et ad officia sua, non tamen ex toto curatus, rediret."

LXXXVII.

Novi virum honoratum de urbe Wintoniensi, cujus filium Gaufridum quasi annum et dimidium ætatis habentem, aqua Cantuariensis a morbo acuto eripuit: post dies autem aliquot, quum sederet sola pueri mater in domo, et puer e regione in cunabulo quiesceret, corruit ejusdem domus paries magnus lapideus et puerum magno lapidum et cœmenti tumulo sepelivit. Exclamavit autem mater: "Domine," inquit, "sancte Thoma, conserva mihi filium meum, quem mihi pridie restituisti." Hæc quum dixisset, præ nimietate doloris in extasiam lapsa est; introierunt autem aliqui ex servientibus domus et videntes eam in area jacere quasi mortuam, aquæ frigidæ, ut fieri solet, opponunt remedium. Quæ quum ad se rediens resedisset, "Quid," inquunt, "habes, domina?" "Pro dolor," inquit, "ecce sub acervo illo cœmenti et lapidum jacet confractus." At illi, nomen Dei et martyris invocantes, et plurimum hominum convocantes auxilium, aggerem illum diruunt, et ad puerum tandem, licet labore plurimo, pervenientes, non solum illæsum

sed et ridentem reperiunt, cunabulo pueri, quod de lignis erat grossis et solidis, confracto et in partes decem et octo dissipato. Infantis vero caro tenera prorsus intacta fuit, livore permodico excepto, quem habebat sub oculo, quum super infantem lapis aliquis jacuerit, ipso infante major. Ipsi vero videntes admirati sunt, et stupor apprehendit eos.

LXXXVIII.

Erat Radulfo de Hathfeld et uxori ejus voluntas visitandi martyrem: sed deerat facultas. Rei familiaris tenuitas piæ voluntatis præpedivit effectum. Inito itaque oonsilio cervisiam venalem fecerunt, ex lucro superabundanti habituros se sperantes impensam. Facta autem cerevisia, nullatenus, ut solet hujusmodi potus, sese purgare potuit, nec a se fermenti quicquam emittere. Videt mulier quod miscuerat periisse, arreptamque corrigiam qua ampulla cum aqua martyris fuerat parata, cervisiæ, invocato martyre, imponit; statimque fermentum illud, quod et florem appellant cervisiæ mulieres, cum admirabili copia erupit, et fere infatigabiliter supereffluxit: sic potus impotabilis potabilis et venalis effectus est. Hæc tamen non ab ipsa muliere accepi, sed a magistro Ricardo Heliensis ecclesiæ monacho, qui eam hæc sibi confitentem audivit.

LXXXIX.

Heliæ nepoti Richardi decani de Siburna viscera adeo constricta erant atque contracta, ut venter dorso cohærere videretur. Tanta illi erat angustia, tanta anhelitus difficultas, ut per singula horarum spatia exspiratus esse videretur. Mittitur propter aquam; bibit; in eodem instanti melioratus convaluit.

XC.

Ejusdem decani famula Hadewisa interius videbatur rupta, ita ut viscera ab interiori pelle erumpentia et in exteriorem cutem collecta grandem fecerant valde strumam. Mox aqua gustata restringitur tumor, et in locum suum viscera revocata subsidunt.

XCI.

Inter calculos quis Roberto de Beveruno miserior? Os ad votum aperuit peregrinationis, martyris aquam gustavit, et lapillum, petitionis virtute comminutum, frustatim emisit.

XCII.

Vicinus ejusdem Hingonus subitis laborabat passionibus: arripiebatur dormiens et angustia nimia omnes intuentes in dolorem agebat. Redeunte quiete nihil se meminit habuisse doloris. Credebatur spes aliqua esse morbi caduci, et hic itaque de latice salutari hausit, et post haustum vixit quietus.

XCIII.

Potentes etiam Deus non abjicit, quum et ipse sit potens; potentes enim et nobiles acceperunt de resurrectione mortuos suos. De quorum aliquo superius specificatum est, et nunc iterum de aliquo specificandum, qui flatum omnem facit. Jacobo Rogerii filio, comitis Clarensis filio adhuc lactenti vitalem flatum remisit amissum. Eidem innocenti innocentis martyris merita non solum semel, sed et secundo succurrerunt. Circa solennitatem beati Michaelis natus, quadraginta dies habebat infantulus, quum rupta præ clamore nimio intestina, genitalium folliculum

cat; explicatam paulatim attrahit; alterum oculorum opperit. Pater inexplicabiliter lætus "Visne," ait, "fili, vivere?" "Volo," inquit, "pater mi." Circumstantibus qui aderant, et de horrido ventris tumore adhuc ingemiscentibus, paulatim venter subsidit, omnibusque intuentibus naturalem gracilitatem statumque recepit, ita tamen quod a corpore nec gutta aquæ superius inferiusve profluxit. Et hunc ergo proculdubio fuisse mortuum non solum patris sui sed et aliorum plurimorum assertione, tandem vero et presbyteri sui literis testimonioque cognovimus.

LXVI.

Emoroides multo passa est tempore militis uxor, Petri videlicet de Archis, et fixa jacens erigere seipsam nequibat. Grabato impositam vir suus Cantuariam attulit. Illatæ in cœmeterium statim occurrit martyris gratia quam quærebat; mulierem subito de lecto ereptam erexit; erectam incolumemque militi redonavit; grabatum sibi martyr retinuit. Illa, relicto lecto, sanctum adoravit et adoratione dignum repentina sui sospitate ostendit.

LXVII.

Quanta sit calculosis anxietas, miles Flandrensis, Girardus de Samford in seipso expertus est. Qui quum una noctium, urina cogente, surrexisset, præcludente viam calculo, fere usque ad mortem cruciatus est; nam ne una quidem hora se putabat victurum. Anxius vehementer nullo in loco valebat consistere. Invocat Dominum, invocat beatam virginem et matrem Domini, invocat et sanctos multos: invocat tandem sanctum Thomam. Mirum dictu et fere incredibile, nisi quia non est apud Dominum omne verbum impossibile, simul emittere se sensit nomen marty-

ris ab ore et calculum a virga virili. Quiescens ergo, mane surrexit, lapidem quæsivit, et altera medietate inventa, alteram reperire non potuit. Erat autem quasi dimidium nuclei amygdalini et inter manus contrectantium confracta est et velut in arenam comminuta.

LXVIII.

Contigit in cathedra sancti Petri fabrum de Lindebi Gaufridum contra festi reverentiam cultelli laminam fabricare: quam perfectam quum vellet emolere, alligavit eum apostolus cui tradita est ligandi solvendique potestas, ita ut inflexus dextræ digitus minimus subito volæ cohæreret. Die postero quum surgeret, proximum minimo digitum, medicum videlicet vel annularem, ad volam similiter alligatum invenit. Solvit ergo pœnas intempestivi operis usque ad dies Paschales, interim uihil operis fabrilis exercens. Adiit martyrem; ad tumbam accessit, et minimum digitum reportavit erectum. Sequenti die rursus sepulchrum attigit, et alterius digiti erectionem impetravit; vola vero, ubi digiti cohæserant, decoriata remansit. Sic, quod Petrus alligavit, martyr absolvit, eundem in absolutione ordinem servans, quem apostolus in alligatione, ut digiti prius oblati præcederet restitutio, et singulis diebus digitos singulos recuperaret, quos non in uno die sed in duobus amiserat.

LXIX.

De Sancto David juvenem Willelmum cognomento Crispinum ventris fluxus diebus quindecim exinanivit. Fluxus tandem in constipationem, constipatio in tumorem, tumor in hydropisin convertitur. Grossitudinem ejus nemo facile ad unguem describeret, sitim nullus extin-

gueret; modice tamen et omnino parce potus illi dabatur. Denique desperatus eo quod signa mortis in vultu ejus manifestius apparerent, accito presbytero, suscepit viaticum agni Bethleemitici; corpore refectus Cantuariensis agni cruore et aqua potari poposcit. Allata est ampulla et in ampullam aqua ab ipso infusa, ut, quæ per se non videbatur sufficere, sitim ejus multiplicata sedaret. Et primum itaque et secundum cyphum totum ebibit; tertium vero quum dimidiasset, vomitu aqua resiliit, et totum morbum morbique seminarium secum extraxit. Erat autem quod excurrebat tantæ tenacitatis ut glutinum tenacissimum tenacitate vincere videretur. Eodem die juvenis idem gracillimus effectus et ab omnimoda liberatus angustia: in tribus restitutus ad vigorem ad martyrem iter arripuit.

LXX.

Est prædium Cantuariensis ecclesiæ, quod Godmeresham Anglice nuncupatur, ubi villanæ cuidam Edildæ filiæ brachium sinistrum aruerat, digiti ad invicem inseparabiliter cohærebant, pollex volæ jacebat conjunctus; pendebat illi jugiter ad latus brachium penitus insensibile. Adducta ad martyris sepulcrum, repente quasi cordis passa defectum resedit; et separati sunt ab invicem quasi sub intervallo unius momenti digiti ejus; pollex a vola erectus est, et brachium plene vivificatum.

LXXI.

Sanctum Redingensis ecclesiæ conveniat conventum qui monachi sui Heliæ et morbum modumque curationis ejus nosse desiderat. Horrida lepra percussum illum dicebant multi, maxime medicinalis artis periti: indicio erant oculi lacrimosi atque fluentes, facies turgens, ulcerosa membra,

corpus totum squamosum: mane quando surgebat, lectum ejus squamis videres contectum; ipsis Dei servis descriptionem ejus relinquo; res manifesta enim probatione non indiget. Anxius itaque frater ille, et quomodo ad beatum Thomam veniret nescius, (metuebat enim ne postulanti sibi ab abbate suo negaretur licentia), itinere tandem ad balnea calida Bathoniensis urbis simulato licentiam impetravit. Ad occidentem perrecturus, reflexo gressu ad orientem tetendit, ad nuper orti martyris urbem. Erat autem hoc quum primis martyr coruscaret miraculis; dum adhuc staret spiritus procellæ, antequam os suum oppilasset iniquitas, antequam publice loqueretur quis potentias Domini, antequam multi venirent et ascenderent ad martyrem Domini et ad domum Dei Jacob; unde et istud inter prima martyris insignia conscribi potuit, nisi vel oblivione vel inquisitionis et certitudinis causa usque in præsens dilatum fuisset. Obviavit itaque monacho miles quem diligebat plurimum dilectus ab ipso. Quæsivit quo tenderet? audivit; dissuasit: "Noli," inquit, "domine mi, noli Cantuariam proficisci, ne, si inter magnates auditum fuerit, inducas super ecclesiam tuam malum. Ecce, aquam sancti martyris Thomæ porto; hic gusta, si volueris; hic te poterit martyris exaudire benignitas." Descendit de equo monachus; aquam in terra pronus adorat; gustat; faciem, ut memini, lavat, lacrimis prius lotus uberrimis. Deinde ad beatum martyrem divertens Eadmundum, a quodam amico suo pannum martyris Thomæ cruore tinctum obtinuit, quo in aqua expresso, corpus tabidum lavit, lepram abluit. Post aliquot igitur dies domum venit, et sui eum receperunt, nihil prorsus mali habentem. Suspicatur abbas ex mira leprosi vultus mutatione Cantuariam illum perrexisse, non Bathoniam, quærensque qualiter curatus fuerit,

confiteri metuentem vultu sereniore alloquitur et tandem modum curationis ejus audit et admiratione plenus credit.

LXXII.

Sequestrandus erat a communi hominum habitatione juvenis Flandrensis Girardus de Lilla, ne lepræ contagio, qua fervebat, contaminaret alios. Sustinuerant autem illum concives multo tempore utpote non abjecte natum, plurimumque dilectum, donec tandem manifesta colluvione tristem expulsionis suæ excepit sententiam. Qui de convictu cum leprosis loquutus, dum sui sollicitus de villa maturare cogeretur egressum, vidit se in somnis una noctium Cantuariæ ad martyris nostri tumbam jacere prostratum : findi autem sarcophagum, sanctumque per medium rimæ in os ejus exsufflare. In qua visione maxime mirandum videtur quod et tumbæ et marmoris et totius structuræ qualitatem, qualem in somnis vidit, talem eam postea Cantuariam veniens invenit. Plurimum itaque lætificatus, et in spe licet non in re pretiosa salutis margarita inventa, abiit et vendidit omnia quæ habuit, ut Cantuariam pergens, fide et devotione compararet eam. Profectus autem iterum putavit se in somnis in ecclesia quadam grandi, sed sibi ignota, in modum crucis expansum orare ; martyrem vero pertranseuntem quasi baculo illum inter scapulas ictu levi percutere, ac dicere, " Surge, sanus es." Surgens igitur, mare transivit, martyri se prostravit, et in ecclesia Cantuariensi noctes novem duxit insomnes : unctus est unguento cruoris et aquæ, et eodem medicamento singulis diebus potatus. Et rupta est undique, acsi novaculis esset concisa, cutis pedum et tibiarum, in quibus lepra maxime prævaluerat ; et effluente morbo, exeundi vias dedit innumeras ; et penetravit sanies emanans calcia menta ejus et imminuta morbi

angustia discessit. Quumque navi ascensa pervenisset in altum, repentina punctionum et ardoris cessatione se sensit mundatum ; et ecce, quasi diceret ei sanctus, 'Jam sanus factus es ; redi et da gloriam Deo,' orta tempestate sævissima ad portum Sandwici repulsus est. Quia ergo Cantuariæ vicinus erat portus, reversus mundum se nobis præsentavit, et multis apud nos diebus commoratus multorum erga martyrem auxit devotionem.

LXXIII.

Exeruerat se paulo minus lepra in corpore pueri quasi decennis de sancto Walerico nomine Gilleberti, manusque illius et brachia, pedes et crura, totumque corpus pessima lues obleverat : facies autem non pustulis horrida, sed per tumorem tantum distenta et notis quibusdam rubentibus albisque distincta. Erat itaque parentibus suis immensa causa doloris et confusionis, cum fide tamen Domino supplicantibus, ut martyri suo fieret causa laudis et gloriæ. Et vidit Deus quod esset bonum, et factum est ita. Adductus enim ad martyrem, ita in triduo melioratus est, ut sanie, quæ per totum corpus effluens obduruerat, disparente, manibusque et pedibus sensibilitati restitutis, cutis integra appareret, et ipse certis indiciis ad sanitatem perfectam penitus videretur dispositus. Reversus autem domum post aliquantulum tempus, nescio quo Dei judicio, multo deterius quam ante deterioratus est.

LXXIV.

Infantem abjectum invenit Alienor Anglorum regina et episcopo de sancto Asapho Godefrido educandum commisit ; ad literas puer applicatur. Post annos paucos sordida lepra totus obvolvitur ; segregatur a communione schola-

rum, tandemque ipsius episcopi sententia ab introitu curiæ Abindoniensis arcetur. Tractu annorum quatuor tubera in facie magis magisque excrescunt; totumque corpus magis magisque tabescit. Clam puer abscedit, ad martyrem convolat; ventris fluxu mundatur; sospes regreditur. In reditu ipsius obstupescunt, qui eum noverunt, sic alteratam ejus faciem, sic lepram annihilatam, sic evanuisse tubera, sic carnem ejus refloruisse. Usque ad tempus illud incredulus extiterat episcopus his quæ dicebantur de martyre. Videns autem mundatum puerum, quem viderat ante leprosum, quem de curia ejecerat, quem abhorruerat, credere compulsus est beatum Thomam magni esse meriti, excellentiæ venerandæ, mirandæ potentiæ. Sed et episcopus Saresberiensis, eodem viso, ad martyrem diligendum animum totum convertit.

LXXV.

Libet adhuc gloriosam leprosi curationem audire volentibus recitare, in territorio Cestrensi nati et educati, in villa quæ Egewarde nominatur ab Anglis. Primos adolescentiæ annos ingredi videbatur, qundo mundatus est. Nomen ejus Ricardus Sunieul, mulieris pauperculæ filius, sed militis ditioris Ricardi filii Henrici famulus. Pascebat puer jumenta domini sui, et, ut pastoribus moris, sub umbra rubi se projiciens obdormuit, surgensque ut domum regrederetur apparuit turgenti facie et maculosa. Et extendit Dominus paulatim per octo annos manum suam et tetigit eum; lepramque per totum corpus diffudit et carnem ejus gravi ulcere vulneravit. Denique quum omnis gravis et horribilis esset etiam ad videndum, non solum a militis domo, sed et a villa, matre sola, ne periret, sequente, expulsus est. A planta pedis usque ad verticem non erat in eo sanitas, neque aliquid

in toto corpore ejus non ulcerosum, quantum saltem a sagitta pungi valeret. Tantus erat ardor in corpore tabescente, ut eo quasi a loco fuliginoso fumus nebulosus ascenderet; tanta tabis emanantis copia, ut ei lintea per singulas horas nequaquam sufficerent; tantus fœtor, ut accessum ejus etiam mater ejus devitaret, et refectulo vel affixa virgæ longiori alimenta porrigeret, vel absentanti se, quæ sumpturus erat, opponeret. Audivit autem puer famam martyris, et quod martyrem adire non posset graviter indoluit; jacens tamen lectum suum lacrimis suis rigavit, donec tandem per invocationem sancti de lecto erectus, Cantuariam tetendit. Melioratus indies pervenit quo tendit; admittitur ad sepulchrum, quumque corpore prostrato sarcophagum oscularetur, pustula grandis instar pomi parvi, qui sub naso a labio protuberabat, inter oscula evanuit; quam cecidisse existimans injecta manu quæsivit, sed reperire non potuit. De lætitia vero salutari quum gustasset, turbatus est et motus est sicut ebrius; et gressu labante vix egressus, quasi in extasi factus est. Surgens autem novam corporis sui sensit agilitatem; cutemque, quam adhuc eo cadente lepra distenderat, tenuem prorsus ac rugosam miratus est. Tædiosa fuit ei redeundi dilatio, reditumque suum, ut se suis sanum præsentaret, accelerans, ante suos lætificavit quam nos. Et vidit dominus ejus, qui eatenus de magnaliis martyris hæsitaverat, evidens et insigne esse miraculum, et credidit ipse et domus ejus tota. Audito autem quia clam nobis puer abscessisset, cum uxore sua et familia et fratribus et cognatis et amicis martyrem visitans, puerum nobis sanum incolumemque reduxit; multumque rogatus apud nos aliquanto tempore commoraturum dimisit.

LXXVI.

Adjudicati duello viri duo congressi sunt. Erat autem

impleverant; ordine confuso, quæ ventris esse debuerant, habebat folliculus distentus, et ad poplites pene porrectus. Quadraginta, aut eo amplius, marcas argenti, quas ob ejus curationem pater offerebat, non erat qui accipere præsumeret, nisi infantulum incidere liceret. At parentes, ætati teneræ metuentes, ut ferrum admitteretur minime consenserunt; permansit itaque infans herniosus anno uno et mensibus aliquot. Tandem anno nativitatis suæ secundo, in die Purificationis beatæ Virginis et matris Mariæ, a matre sua martyri allatus et martyris aqua lotus infra diem tertium dimissus est ab infirmitate sua, nullo infirmitatis remanente indicio. Post hebdomadas aliquot, in medio videlicet Quadragesimæ sequentis, alia ægritudine correptus, tandem spiritum exhalavit. Mater ad ecclesiam profecta divinis intendebat obsequiis; domi familia remanserat. Non est inventus qui pueri mortem maternis auribus nuntiaret, ne calamitatis ejus causa diceretur fuisse. Currit tandem puerulus, pueri frater defuncti ad ecclesiam, (nescit quippe puer aliquis celare secretum) et matri clamat ingeminans: "Domina, frater meus est mortuus; domina, frater meus est mortuus." At illa statim expallens exiliit, domumque indumento rejecto recurrens, infantem reperit a thalamo in aulam exteriorem elatum, extensum in area, ore aperto sed penitus absque spiraculo; lingua labiisque in se retractis; defossis oculis et ita ut albugo sola videretur, eversis: frigidum penitus rigidumque et, ut breviter sit dicere, revera mortuum. Et accipiens eum in ulnas, "Sancte Thoma," inquit, "restitue mihi filium meum; pridie herniosum redonasti sanitati; nunc mortuum, sancte martyr, vitæ pristinæ restitue." Currens etiam, reliquias sancti, quas a Cantuaria detulerat, a scrinio extraxit; sancti cruorem in os mortui infantis infudit, et

portiunculam cilicii ei usque in guttur intrusit, incessanter clamans et dicens, "Sancte martyr Thoma, redde mihi filium meum; ad sepulchrum tuum adducetur si revixerit: ipsa te nudis pedibus visitabo: exaudi me." Milites vero omnes qui astabant, comitissa etiam Warwicensis et reliquæ mulieres increpabant eam ut taceret; at illa genibus nudis iterum iterumque in terram flexis multo magis clamabat, "Sancte martyr, miserere mei." Tunc capellanus ejus Lambertus vir honoratus et senectutis bonæ, "Quomodo te habes, domina? insipienter te agis; stulta facta es; amentiam sapiunt quæcunque agis et loqueris. Nunquid non licet creatori de creatura sua quod vult facere? desine; projice infantem; fiatque de infante utpote de mortuo: stultitiæ grandis est ad hoc te niti velle quod impossibile sit impetrare." Similiter et omnes dicebant: at illa "Certe nequaquam cessabo; nequaquam infantem projiciam; confido enim, quod mihi reddendus sit. Martyr," inquit, "gloriose, martyr piissime, martyr dilecte, miserere mihi; redde mihi filium meum." Quumque ita quasi per duas horas clamasset, misertus est martyr ejus; infantem vitæ restituit, et apparente primitus in facie illius nota ruboris, post modicum oculos circumducens in ejulatum prorupit. Et benedixerunt Dominum qui mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit; et facta est lætitia magna in domo, et extrema luctus gaudium occupavit; gaudium enim et lætitiam obtinuerunt; fugit dolor et gemitus. Et apprehendit comitissa pueri mater suscitati laborem inusitatum, et Cantuariam cum puero properans nudis pedibus iter promissum perfecit. Sequuta est autem eam comitissima Warwicensis et aliæ mulieres multæ; capellanus etiam prænominatus Lambertus, et milites multi, qui omnes

vidisse se puerum et vere mortuum et vere a morte resuscitatum testificati sunt.

XCIV.

Cadomensis Willelmi Bruni filium Gillebertum per febres acutas mors sibi vindicabat: spirabat vix puer, linguæ privatus officio. Dolorem paternum amici, qui convenerant, lenire conantur, et consolantur solatium nolentem suscipere. Recedit in cubiculum, et, clauso ostio, plorat filium suum, dicens in corde suo, "Non videbo morientem puerum." Tandem vero ex tumultuantium vocibus advertens, quia proculdubio moreretur, ocius abvolat, et occurrente sibi martyre, tam ad memoriam quam ad lætitiæ causam, "O," inquit, "beate Dei amice Thoma, certe nequaquam morietur filius meus; tibi illum do; tuus sit; tibi illum commendo; tuæ illum servituti addico. Miserere mei martyr gloriose, puerumque, servum tuum, mihi si placet conserva. Ad sanctum sepulchrum tuum illum adducam: miserere mei martyr piissime." In his verbis accurrit ad puerum et ait; "Fili, pro Dei et martyris Thomæ amore, si potes, mihi loquere." Qui statim, acsi a somno excitatus, elevato brachio, patrem suum amplexatus est; et resedit, qui erat fere mortuus, et eadem hebdomada patri suo restitutus est incolumis.

XCV.

Savarico quoque de Vallibus militi honorato filium suum parvulum Rogerium auferebat diarrhœa: solius aquæ gustu vixerat diebus viginti. Votum vovent pro illo parentes, martyri reddendum in proximo. Mira loquor, sed veritatis metas non excedentia: post votum cœnatum eunt. Inter

prima fercula ferculum lætitiæ suscipiunt; cœnantibus enim illis surrexit puer, quem in thalamo semivivum reliquerant, et induens se vestimentis suis, ad discumbentes introivit, taratantara coram se, levitate puerili, rotans et ludens. Mirantur convivæ, lætantur parentes convivam talem se suscipere.*

LIBER QUARTUS.

I.

Oculos enormiter tumidos hebdomadis quatuordecim habuerat Willelmi filia de Baldac, et oculis innatum lumen tumoris vitio dolebat expulsum. Lavit pater infantis oculos martyris aqua, quæ, utriusque statim restricto tumore, non nisi alterius ei visum restituit.

II.

Mulier ejusdem convicanea in cœcitate sederat annis undecim. Et abiit et lavit; et venit videns.

III.

De prædio diocesis Eboracensis Chercheham vocabulo puer nobis adductus est, Willelmi clerici filius, testesque pro-

* Here the Paris MS. ends, making three books only of the work, and omitting all that follows.

ducti, quod pueri oculus per tumorem grandem a capite fuerit expulsus, pupilla expulsa a baculo. Humectant oculum parentes Cantuariensi collyrio; et commetientes puerum luminare faciunt martyri offerendum. Sanus in crastino puer repertus est, pupilla in oculum reducta, oculo in locum suum restituto.

IV.

Pater omnipotens, qui percutit filios suos virga et liberat animas eorum a morte, qui visitat in virga iniquitates eorum et in verberibus peccata eorum, misericordiam autem suam non dispergit ab eis, percussit Hugonem de Hembtegim lepra repentina messionis tempore: totumque corpus ejus tubera prominentia reddiderunt deforme. Et cogitavit homo pro peccato suo, et confessus est adversus se injustitias suas Domino; et, martyre invocato, intra diem octavum meliorem se sentiens, Cantuariam tetendit. Et vidit in visu noctis quasi crucifixi hominis vultum manu sua locum lepræ tangentis ac dicentis, "Ecce sanus factus es." Et venit usque ad nos; et vidimus eum non habentem speciem neque decorem. Nam, licet in locis pluribus sola lepræ remansissent vestigia, in aliquibus tamen tubera prominentia fugata non fuerant. Lavit itaque se mirifica martyris aqua; qui in sanguine pio lotus est, et est mundus totus. Immundus erat homo, quum veniret ad martyrem, et mundus per ipsum factus est: emendatum enim dimisimus; et post aliquot mensium decursum recepimus emundatum. Benedicta in omnibus benigna Dei providentia, quæ martyrem mundo mundum surripuit, ut mundus a mundi sordibus mundaret immundos. Multi enim sunt valde, quorum hispidam lepræ tuberibus cutem martyr complanavit; sed de singulis singulatim conjunctimque explanari non

congruit. Nam et dulcis cantus frequentatus adducit quandoque fastidium. Ne ergo usque ad tædium trita teramus novi aliquid expectemus.

EXPLICIT LIBER QUARTUS.

INCIPIT QUINTUS.

Nova suspiravimus. Novis jam de novo in novi Anglorum martyris amorem accendimur. Novum fecit Dominus super terram, immo sub terra. Terra enim corruens circumdedit virum, et undique comprimens non opperuit. Portavit homo illæsus quod boves multos posset obruere. Apud villam hoc factum est Glocestriæ vicinam, quæ Anglice Cherchesoum appellatur, in homine cui nomen erat Willelmus. Faciebat homo ille aquæductum ; et stans in defosso terræ calamum plumbeum protendebat. Hora erat quasi decima ; fossæ profunditas pedum viginti quatuor dicitur extitisse. Et terra pendula super operantem ; fossamque repletam reliquæ terræ coæquavit. Ille vero ante sepulturam, quasi mortuus, " Sancte Thoma, " inquit, " gloriose martyr, si vera sunt, quæ de te dicuntur, succurre, ut hinc vivus eripiar. Si vivum me conservaveris, locum, ubi et vivus et mortuus fuisti, visitabo. " Quumque incurvatus staret et in

hunc modum oranti jam jamque præcluderentur anhelitus, ex insperato eructavit, et eructationem vomitus sequutus est, vomitum anhelandi facultas libera. Clamavit igitur incessanter ad martyrem sepultus nocte illa tota, die etiam sequenti usque ad horam tertiam. De morte ejus omnibus, qui astarent, una eademque sententia. Nemo penitus ambigeret mortuum, quem tanta moles oneraret; sed martyris virtute centum et eo amplius quadrigarum onus homuncio supportabat. Fit solicitus ejusdem villæ sacerdos de anima mortui, ignorans quod anima hominis solicitior esset de corpore suo, adhuc vivente. Celebrat igitur propter presbyter exequias, non ultimas, ut putabat, sed primas. Mane autem facto, contigit juvenem de villa eadem, nutu divino ductum per locum illum transire et sonum audire subterraneum. Casu occurrens villæ procomiti, "Vere," inquit, "homo ille hesterna die obrutus vivit." At ille "Impossibile est quod ais: in momento expiravit." Sed contra juvenis; "Si hæsitas, veni et audi." Adquievit: et auribus ad superficiem terræ admotis, amota est a corde ejus cunctatio, qua dubitavit. Rumor in villa insonuit. Concurrit populus cum vangis et ligonibus et generis diversi fossoriis. Tollitur humus. Extumulatur homo vivus, et illæsus extrahitur. Martyris virtutem prædicavit omnibus, et martyrem visitans literis nos certificavit hujusmodi, quas et rei hujus fama longe ante prævenerat.

Venerabili domino et patri suo priori sanctæ Trinitatis Cantuariæ totique conventui Gaufridus decanus Glocestsiæ salutem.

Sciatis latorem præsentium Willelmum in profundo cujusdam foveæ, quæ erat viginti quatuor pedum, sociis suis fugientibus obrutum fuisse, et per unius noctis spatium et crastino usque ad tertiam ibi fuisse sepultum, et pro eo sicut pro mortuo obsequium totum factum fuisse. Hic autem, sen-

tiens sibi mortem imminere, Dominum invocavit, et oravit ut, pro amore gloriosissimi martyris sui Thomæ, a tali eum periculo liberaret, et votum clamando fecit iturum se ad locum, ubi sanctus Thomas occubuit. Quem quum audissent quidam ibidem transeuntes, nunciaverunt toti villæ se vocem humanam in fovea illa audiisse. Sacerdos vero et plusquam centum homines illuc pergentes extraxerunt eum. Sed et alia multa miracula sunt quotidie apud nos per gloriosissimum Christi martyrem Thomam, quæ vobis in brevi iturus ad vos, Deo annuente, narrabo." Habuerat tenor apicum cum testimonio populi, qui affuerat, per omnia concordantiam. Factis itaque cum aliis multis venit in tesimonium, ut testitmonium perhiberet de lumine. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est ; hoc est autem testimonium Dei, quod nuper testificatus est de martyre suo.

CAPUT PRIMUM.

Famularum paternæ domus seducta instinctu Thomæ filia de Yffeld, Salerna nomine, caseum matri suæ surripuit, eisque contradidit. Mater caseum advertit sublatum : impetit commisso puellam. Minis non perficiens, apponit et verbera, asserens eam usque ad exaltationem sæpius flagellandam, nisi rectum confiteatur in crastino. Erat autem sabbatum in die illa sed non illi. Tum illa, futuri mali magis sollicita, quam dolens præteriti, noctem subsequentem fere totam duxit insomnem, flens et ejulans, ac dicens : " Sancte Thoma, consule mihi ; sancte Thoma, adjuva me ; adjuva me, sancte Thoma ; consule mihi, sancte Thoma." Mane vero, quam matrem suam ad ecclesiam profectam fuisse cognovisset, egressa perrexit ad puteum aquæ, in puteum seipsam præcipitatura, quatinus,

si mortem declinare non posset, saltem mortis genus mutaret. Ad puteum appropinquans videbat juxta se quasi † mulierculam aliquam commeantem et vim faciebat qui quærebat animam meam impingens eam ad præcipitium ac dicens: "Vade, vade; introibis, introibis." Super puteum tandem consedit, et manibus ab hora pendens, ejus instinctu, qui de deorsum est, misit se deorsum præcipitem magna voce proclamans; "Deus omnipotens consulat mihi et sanctus Thomas," et cecidit in abyssum et non est collisa, quia Dominus supposuit manum suam, audivit eam in vocem ipsius, descenditque cum illa in foveam, et assumpsit eam de aquis multis, ne absorberet eam abyssi profundum, neque vigeret super eam inferni puteus os suum. Immersa itaque tertio vel quarto totidemque vicibus emersa, quum respirans clamasset, "Sancte Thoma, adjuva me," impulsu quodam divino totum puellæ corpus usque ad pedes de aquis expulsum est, et statuit Dominus vel martyr, immo Deus et martyr, super baculum quendam pedes ejus, et alium baculum in manus ejus tremulas administravit. Super alterum igitur in superficie aquæ consistens, alteri contra putei parietem porrecto innitebatur, ignorans prorsus et qualiter super baculum venisset, et quis baculum secundum manibus ejus imposuisset. Hoc autem constans habemus atque certissimum, quod ante dies paucos puteum eundem juvenis purgaverat; qui nec baculum nec virgultam, sed neque festucam in ipso reliquerat. Audivit etiam puella, dum ita staret, vocem consolantis se, eadem consolationis verba sæpe replicantis: "Noli timere, filia, bene venies sursum, bene sursum venies; filia, noli timere." Testatur se etiam personam loquentis prope stantem vidisse, lino candidissimo vestitam. Et hæc quidem in puteo ita gesta sunt. Audierat autem puellæ corruentis vocem quispiam de familia in campo vicino

* Some corruption here.

constitutus, qui et puellam super puteum sedentem vidit et admiratus increpavit; currensque juvenem in domo dormientem vocavit ex nomine Salernam in puteum corruisse ingeminans. At ille quasi per somnum vigilans, et audiebat vociferantem et somnum excutere non valebat. Videbat enim coram se quasi hominem quendam deformem, statura proceram, vultu terribilem, clavem grandem tenentem in manibus, et incessanter dicentem: "Si surrexeris, mortuus es; si te moveris, occidam te." Tandem vero importunitate clamantis excitatus, ad puteum cum puero cucurrit, in puteum descendit; sed metu præcipitii tanti correptus exivit. Stabant itaque ambo super infortunio anxii, et quid facto opus esset ignari. Tunc alter ad alterum, "Festina, equumque ascendens ad ecclesiam propera; et dominæ nostræ miserabile infortunium quod accidit manifesta." Qui ascenso equo acceleravit et post moram plurimam, non solum dominam sed et parochiam totam, quæ ad ecclesiam eo die, ut moris est, confluxerat, secum reduxit. Dimissus est juvenis in abyssum putei per funem, et ipso interim super baculum remanente, puella extrahitur vociferans, "Memini me ad sanctum Thomam; memini me ad sanctum Thomam," volens videlicet, ut ad mensuram longitudinis corporis ejus candela fieret; quam martyri pro ereptione sua offerret. Extracta autem illæsa inventa est, sed frigore pene usque ad mortem afflicta: dicebatque; "Ecce modo mecum fuit in puteo, modo abiit." "Quis," inquiunt, "tecum fuit?" Et illa, "Beatus Thomas martyr in vestitu candido, et sic et sic mihi in puteo loquutus est." Et benedixerunt omnes qui astabant martyrem Domini, qui facit omnia quæcunque vult, in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis.

Et quidem abyssi prætaxatæ mira profunditas mirum

reddit miraculum. Ipse enim profunditatem mensus sum, et a terræ superficie usque ad superficiem aquæ circa quinquaginta pedum inveni distantiam, ipsam vero aquam plusquam sexaginta pedum habere profunditatem. Istud inter cætera martyris insignia fidenter proposui non aliorum quam ipsius puellæ et parentum suorum vicinorumque fidelium testimonio certificatus. Ipsi enim viderunt opera Domini et mirabilia ejus in profundo.

II.

Inusitatum quoque signum quod apud urbem Rokesburc in flumine Tuede accidisse cognovimus, nullatenus reticere debemus, quod fecit Dominus in ejusdem urbis præpositi Swani vernaculo, Johannes est nomen ejus. Hic domini sui equum in flumine prænominato lavabat sive adaquabat ad vesperam. Erat autem equus timidus et de crate, quam forte præ se videbat, perterritus, adversus in profundum prosiliit. Juvenem dejectum in amne reliquit. Ipse natando evasit ad aridam. Et exclamavit juvenis, quum in flumine corrueret, "Sancte Thoma, sicut vere peregrinus tuus extiti, teque adii, iterumque, te volente, adibo. Succurre ne moriar." Reversus autem equus absque sessore suscipitur. De submersione ejus rumor flebilis subsequutus est. Quum ergo accepissent vicini rumores istos, exierunt continuo. Erat autem nox. Et transierunt huc atque illuc, et ecce non erat; quæsiverunt et non est inventus locus ejus. Jam enim eum longius unda protraxerat, et in fundo fluminis sub petræ grandis concavo retinebat. Reversi sunt igitur in sua singuli, spe singulis ablata submersum inveniendi. Quumque ad noctis usque medium in fluminis fundo jacuisset, apparuerunt ei viri octo, quasi transitum juxta eum habentes. Surgere se æstimabat

et subsequi præcedentes. Sed revera ad superficiem aquarum elatus sequebatur natando. Ripæ tandem appropinquans salicis ramum apprehendit, salicem attrahens ramum avulsit, ruente super ipsum de ripa lapide grandi rursus in amnem corruit. Et ecce post pusillum viri memorati, quasi juxta ipsum transeuntes et sequutus est eos; ambulare se æstimans, super aquas instabat, donec sub ponte positus in aquis se esse sentiret; et subito mira Dei virtute super pontem invenit se jacentem, omnino nescius qualiter de aquis fuisset elevatus, vel qualiter super pontem venisset, quum pons ab aquæ superficie spatio distaret non parvo, nec posset cuiquam facilis esse ab aquis super pontem ascensus. Turgebat aquis quas biberat invitus; sed eodem resiluerunt aditu quo influxerant; quumque anxie vomeret, audivit unum ex viris prætaxatis sibi dicentem, "Ecce a morte ereptus es, esto bonus homo; et fac bene dum potes." Quumque elevasset oculos ut videret quis secum loqueretur, et ipse evanuit ab oculis ejus. Frigore pressus surgere nequiebat; sed manibus reptans et pedibus, domum attigit ponti contiguam. Aditus petenti vix patuit, putantibus primo, qui in domo erant, spiritum submersi esse, qui foris gemeret. Membra frigoribus aquarum congelata ignis beneficio confota roborantur. Vigorem pristinum adeptus una cum domino suo Swano Christum Domini Thomam, juxta quod voverat, adiit, et gratias ei pro gratia rependit.

EXPLICIT LIBER QUINTUS MIRACULORUM SANCTI THOMÆ ARCHIEPISCOPI.

INDEX.

A. prior of Corbeil, 260.
Abingdon, town, 217. abbey, 255.
Ada, a girl of London, 128.
Adam de Helega [of Ely], 120. de Lilingestan, 151.
Adeliza of London, 51.
Adriatic sea, 111.
Adulvestre, a village of Warwickshire, 179.
Æinesburne, a village in Berkshire, 52.
Æliza de Dunetona, 178. of Northampton, 181. wife of Martin the baker, 217.
Aglandris, 231.
Agnes, of Canterbury, 79. widow of William of Cornwall, 257.
Aiditha, of Werde, Edith Worth, 61.
Aileva, a woman of Derby, 201.
Ailwin, of Bristol, 223.
Alan, 134. of Reading, 164.
Album monast., in Cheshire, 157.
Albinus, abbat of Derby, 200.
Albreda, of Malling, 136.
Aldida, of Stafford, 178.
Alelmus, of St Omer's, 207.
Alexander III, pope, 36.
Alexander, a boy, 258.
Alfred, of Exeter.
Alienor, queen of England, 254.
Alnwick, 213.
Amalric, of Ponthieu, 211.
Anfreda, daughter of Hubert, 117.
Anselm a priest of St. Swithun's, 122.
Argentium, Argentan, 41.
Asaph, St, bishop of, 254.
Augustine's, St, at Canterbury, otherwise St Peter's and St Paul's, 222,
Augy, in France, 211.
Ausfrid, de Siringis, 207.
Aviza, de Gosehale, 140.
Baldac, 268.
Baldwin, de Wi, 133. 199.
Bath, hot baths of, 252.
Beatrice, daughter of William, 165.
Bedford, county of, 148. town of, 186. 229. the burghers of, 191.
Beilinum, 208.
Bekenham, near London, 98.
Benenville, 218.
Berkescire, Berkshire, 173.
Beneclega, in Warwickshire, 247.
Bertha, widow of Elias Giffard, 179.
Bergestend, 90.
Berkinges, in Norfolk, 179.
Beverley, provostship of, 104.

Beverun, 264.
Brecthwill, an estate in Yorkshire, 154.
Bretagne, in France, 226.
Brian, de Lisle, 100.
Brichthivin, de Serris, 238.
Brihtiva, a poor woman, 53.
Bristol, city of, 223.
Brunnilda, de Luiton, 156.
Cadomum, Caen, 267.
Calnis, Calne in Wiltshire, 214.
Caniton, village near Canterbury, 99.
Canterbury, city of, PASSIM. conventual body of, 191.
Canteuadone, in Essexia, 118.
Catania, city in Sicily, 110.
Catenæ, the Manacles, a dangerous part of the sea, 225.
Chercheham, in Yorkshire, 268.
Cherchesoum, in Gloucestershire, 270.
Cherleton, in Gloucestershire, 216.
Cheshire, county of, 157, 255.
Christ's Church, Canterbury, 258.
Codebi, 258.
Colchester, church of, 63.
Constance of Lincoln, 170. nun of Stikeswald, 170.
Corbeil, town of, 259.
Cornubia, CORNWALL, 163. 257.
Curbaran, cobler of Dover, 168.
David's, St, 250.
Delelande, 172.
Dene, near Canterbury, 84.
Deninton, in Surrey, 258.
Derby, abbat of, 200.
Devon, earl of, 221.
Dover, port of, 168.
Durand, son of Osbern 00.
Eda, a Scottish lady, 235.
Edeldrida, Saint, territory of, in Norfolk, 179.
Edilda de Beche, 101.
Edith, of Eggardinton, 154.
Editha, Saint, 179,
Edmund Saint, king and martyr, 195.—St Edmundsbury, 101. Edmund's St, 252. archdeacon of Coventry, 194. a youth of Canterbury, 74.
Edric, of Ramesholt a priest, 165.
Edwin, of Dover, 96.
Edric, of Worcester, 170.
Egewarde, town of, 255.
Eilbrichtus, 188.
Eilgar de Calnis, 214.
Eilnod, of Bergestend, 90.
Eilward, a peasant of Weston, 185.
Eilwin, of Berkhampstead, 137.
Eilwecker, of Dover, 226.
Elditha, a sick woman of Canterbury, 73.
Eldward, de Selingis, 94.
Elfsiestum, a village in England, 135.
Elfward, of Canterbury, 131.
Elias de Mariscis, 140.
Eliza, of Reading, 164.
Elmer, a youth of Canterbury, 136. de Beche, 101.
Elvida, of Eggardinton, 154. of Beckenham, 98.
Elward, of Tenham, 78.
Emeline, a lame woman of Canterbury, 71.
Emeline, 156.
Emma, of Caniton, 99. of St Andrews, 49.
Enfrid, a boy, 96.
Eremburga, of London, 102.
Ernald, baker to Earl Simon, 214. of Ponthieu, 211.
Ernulf, of Ponthieu, 211.
Essex, county of, 181. 219.
Ethelburga, a matron, 76.
Eustace, of Malling, 136.
Everard, chaplain of St Mary's Winchester, 204.
Flanders, 249.
Fontenay, 237.
Frederic, a priest, 134.
Fredo, of St Edmund'sbury, 100.
Frideswith, Church of Saint, at Oxford, 109.
Fulk, the town-crier of Weston, 185.
Geldewin, son to Godfrey the baker, 70.
Geoffrey, de Chealgrave, 129. dean of Gloucester, 271. of

Winchester, 262. a monk of Reading abbey, 261. prior of Bedford, 187. a carpenter of Lindebi, 250. Paritis of Ipswich, 100. Bad-practices, of Cherleton, 216.
Gilbert, a cobler of London, 107. Foliot, bishop of London, 161. baker to the bishop of Rochester, 197. of Caen, 267, Foliot, cousin to bishop Foliot, 161. son of Ralph and Vulviva, 238. of Saint Waleric, 254.
Gipeswiz, Ipswich, 100.
Girard, de Lisle, 253. of Rochester. 215. of Samford, 249.
Godebold, of Boxley, 182.
Gloucester, county of, 179. 270.
Godelina, of Canterbury, 82.
Godfrey, bishop of St Asaph, 254. baker to the monks of Canterbury, 70. of Lilingestan, 151.
Godicha, de Heisa, 178.
Goditha, wife of Matthew of Canterbury, 68.
Godiva, of Stratford, 141. de Chelmeresfordia, 129.
Godmersham, in Kent, 251.
Godric, of Leftstanestune, 139.
Godwin, Brecthwill, 154.
Goltona, 230.
Griffin, a Welshman, 158.
Grimsby, 234.
Gunceline, a monk of Norwich, 117.
Gunhilda, of Elfsiestum, 135.
Guy, of Perindon, 198.
Gynilda, of Hameledene, 149.
Hadewisa, female servant, 264.
Haimo, of Essex, 83.
Haimo, fitz Roger, steward of St Augustine's, Canterbury, 222.
Hatfield, 263.
Heddecliva, 234.
Hedewic, of Gloucester, 179.
Helias, a monk of Reading, 251. a knight, provost of Froile, 202. Giffard, 179. nephew of Richard 263.
Henry, a youth of London a sailor, 222. de Longvill, a knight of Burch, 155. de Mariscis, 140. of Hameledene, 149. of Hocton, 173. of Cropindenne, 183. a boy of Canteuadone, 118. de Biselia [Beesley], 124. son of Elmer and Matilda, 101. a priest of Derby, 201. of Fordwick, 77.
Hermer, son of Telio, 209.
Hingonus, of Beverum, 264.
Horspol, William de, 234.
Hubert, of Canterbury, 117.
Hugh, de Moreville, 22. de Bello campo [Beauchamp], 119. de Burnis, son of William, 108. de Tukin, 236. bishop of Durham, 191. Scot 247. of Codebi, 258. cellarer of Jorvaulx abbey, 171.
Humfrid, of Chesterton, 195.
Ingelran, de Goltona a knight of York, 230.
Iselda, de Longville, 155.
Ivo, of Ley, 226.
Jaffrid, dean of Chesterton, 194.
Joannes, de Capella [Chapel], 121.
Joceline, of Springfield, 122.
John, provost of Canterbury, 151. serving-men of Swan, 275. son of Philip of Alnwick, 213, de castro Valentianos, 260. of Berington 167. abbat of Jorvaulx abbey, 172. of Salisbury, 23.
Jordan, of Plumsted, 244. a knight son of Eisulf, 239.
Juliana, daughter of Girard, 215.
Juvona, wife of Robert Puintell, 105.
Lætitia, a woman, 215. of Plumsted, 244.
Lambert, of St Omers, 207.
Lantony, prior of, 201.
Laurence, Saint, 44.
Letarda, a nun, 199.
Leicester, county of 228.
Leuric, of Berkinges, 179.
Ley, 226.
Lincoln, diocese of, 168.
Lisieux, in France, 259.
Lisortium, (Gisortium, Gisors ?), 213.

Livena, of Leftstanestune, 139. a girl of Derrente, 144.
Livina, of Rochester, 237. de Chealgrave, 129.
Luciana, Torel, 179.
Mabil, de Aglandris, 231.
Manwin, a poor man of Canterbury who had a club foot, 71.
Margaret, St, the virgin, 233.
Maria, of Rouen, 210.
Marlborough, town of, 142.
Martin, Saint, 132. Bercestrensis, a baker, 217.
Matilda of Cologne, 219. of Thornbury, 164. of Canterbury, 93. and Roger, 107 wife of Geoffrey Paritis, 100,
Matthew, of Canterbury, 68.
Melania, de Fontenay, 236.
Muriele, a woman, 75.
Nean, castle of. 231.
Newenton, Newington in Surrey, 176. 181. church of St Nicolas, at Wissant, 209. de Bello campo [Beauchamp], 119. of Stafford, 201. a deacon of Derby, 201.
Norfolk, 227.
Northampton, town of, 150.
Heckeham, village of, 150.
Norway, 222. 226.
Norwich, diocese of, 244.
Octavian, pope, 36.
Odilda, of Southwell, 177.
Odo of Falaise, 196. prior of Canterbury. 200. 259. a deacon of Derby, 201.
Ordgar, de Gosehale, 140.
Osbern, dean, 190. a priest of Derby, 201. of Augy, 211. of Lisieux, 259.
Oxford, territory or county of, 69.
Pagan, de Pech, 153.
Paul's, St, church, at Bedford, 229.
Perindonia, 198.
Peter, of Essex, 83. de Archis 249. Melides a clerk of Lincoln. 116. of Deninton, 258.
Philip, son of Hugh Scot, 248. clerk of Alnwick, 212.
Plumsted, 244.
Ponthieu, 211.
Pontigny, abbat of
Pruvinum, in France, 236.
Ralph, de Byrnis, 66. of Essex. 127. a priest, 202. a monk, of Canterbury, 63. subprior of St Augustine's, Canterbury, 222. of Hatfield, 263, son of Ralph of Lincoln, 206. de Longville 193. of Lincoln, 106. a monk of Delelande,—172. de Tongues, a boy, 92. a baker of Flanders, 169. of Sheppey, 80. de Broc, 20. 23.
Raimund, abbat of Colchester. 63.
Reading, abbey of, 251. 261.
Reginald, fitz-Urse, 15. 16. of Canterbury 24.
Reigner, of London, 223.
Reimer, a citizen of Stafford, 200.
Remigius, St, or Remy in France, 262.
Richard, Sunieul, 255. of Salisbury, 142. of Essex, 108. canon and chamberlain of Saint Frideswith at Oxford, 109. a scholar of Northampton, son of Walter, 83. cellarer of Canterbury, 24. canon and abbat of Ford abbey, 160. of Rokeley, 119. Wise, 150. of Essex, 219. Stanley, 173. Fitz-Henry, 255. son of Eilnod of Bergestend, 90. clerk of the earl of Devon, 221. dean of Siburna, 263.
Robert, Fitz-Gilbert, 170. a canon of St John's of Crokestrun, 228. of Cricklade, prior of St Frideswith's, 110. of London, 140. of Beverun, 264. son of Anketil, 258. a clerk of Lincoln, 226. of Thanet a carpenter, 76. of St Andrews, a Sussex knight 49. son of Livina, 237. de Broc. 20. 23. 141. of Springfield, 122. Puintell of Essex, 105. de Boalim, 180. son of Wm of Surrey, 59.
Rochester, city of, 69.

Roeis, countess, 150. 229.
Roger, a clerk of London, 117. de Dunetona, 178. of Salisbury, 142. the currier, of Northampton, 181. son of Savaric de vallibus, 267. and Matilda, 107. archdeacon of Salisbury, 121.
Rokesburc, on the Twede, 275.
Rome, city of, 111.
Salerna, daughter of Thomas de Yffeld, 272.
Salisbury, bishop of, 255.
Samford, 249.
Savaric, de vallibus, 267.
Saxeva, a woman of Dover, 85.
Segiva, wife of Richard of Essex, 219.
Seileiva, a woman, 204.
Serris, 238.
Silewin, of Thornbury, 164.
Simon, 148. dean of Canterbury, 149. earl, 214.
Sirwede, 234.
Siringis, in Sussex, 207.
Stafford, city of, 200. county of, 178.
St Alban's, territory of, 153.
Stephen, a knight of Hoiland, 56. Saint, 44. a canon of Bedford, 229.
Solomon, of London, 117.
Southwick, church of, 205.
Springfield, in Essex, 122.
Sussex, 49. county of, 207.
Surrey, county of, 258.
Swan, provost of Rokesburgh, 275.
Syracuse, city in Sicily, 110.
Tarunensis, (Terouenne), 211.
Telio, son of Bertran, 209. 210.
Thames, river, 83.
Thomas, de mariscis, son of Adam, 128. d' Yffeld, 272. de Ethonia, 104. of St Waleric, 153.
Twede, river in Scotland, 275.
Valentianos, castrum de, 260.
Vallis lucens, i. e. Clairvaux, abbat of
Vernon, 231.
Vidoch de Anoch, 210.
Vincent, Saint, 44.
Vulviva, wife of Ralph, 238.
Waleric, Saint, 254.
Walter, of Northampton, 86. 138. Torel, of Warwick, 179. of Lisortium (Gisortium. GISORS?) 213. of Heddecliva, 234.
Wardinensis, comes, 242.
Warin, the big, knight of Norfolk, 227.
Warwick, county of, 247.
Wekerilda, of Horton, 97.
Welesfordensis ecclesiæ. FORD ABBEY? 160.
Wermund, son of Weilard, 208.
Weston, a royal village in Bedfordshire, 184.
Wibert, of Thanet, 130.
Wideman, of Folkstone, 138.
Wielard, of Beilinum, 208.
Wiesand, or Wissant, 209.
William, cellarer of Canterbury, 24. a priest of London, 54. of Warbeton, 58. Patrick, a man-servant, 58. a knight of Surrey, 59, de Brunis a priest, 64. of Canterbury, 67. of Dene, 84. of London, 95. of Lincoln. 101. son of Wm of Lincoln, 101. de Erlia 112. de Burnis, 108. lord of the manor of Canteuadone, 118. a knight of Chester, 127. of Heckeham, 141. son of Ralph, 157. 165. of Hameledene, 149. de Pech, 153. son of Guy of Perindon, 198. of Gernemue, 198. a priest of Derby. 201. de Warenne, 201. de Benenville, 218. de Vernon, 231. de Horspol, 234. de Fontenay, 236. Briton, 239. bishop of Norwich, 247. Crispin, 250. of Cornwall, 257. Brun, 267. of Baldac, 268. of Cherchesoum, 270.
Wivelina de Lideburna, 163.
Wlviva a nun 61. an infirm woman of Canterbury 74.
Wolewich, Woolwich, 177.
Worcester, county of, 86.
Yffeld 272.
York, county of, 137.

AUG 2 [illegible]